Ap. tic.° al Coll. Rom.°

DE SACRIS CONCIONIBVS RECTE formandis, deq; ratione Theologiæ discendæ, compendiaria formula. Alphonso Zorrilla Sacræ Theologiæ Magistro Authore.

Romæ in Vico Peregrini apud Balthasarem de Cartulariis Perusinum.

M. D. XLIII.

Epistola nuncupatoria.

REVERENDISS. ET ILLVSTRISS. D. D. Ioanni à Toleto Episcopo Burgensi Sacro sanctę R. E. Card. dignissimo, Alphonsus Zorrilla. S. P. D.

CVM inter omnia Christianorum officia (Illustriss. Priceps) nullum grauius, maiorisue momenti, verbi Dei ministerio, censerem: nullum verò negligentius inertiusque (hoc nostro sæculo) exequi (mea quidem sententia) viderem: operæ precium fore duxi, si de sacris concionibus rectè formandis, quasi per compendium, ac collectionem eorum, quę varii, hac de re, variè dixere, tractatum instituerem: & in vnum, eundemq; locum, varia, ac vagantia illa, cogerem, atq; componerem. Erasmus enim Roterodamus, de modo concionandi, libros aliquot fecit: adeò tamen opus illud est diffusum, prolixum, & confusaneum, vt non cuiq; inde facile sit, ea præcepta deligere, quæ

pro ſacris concionibus formandis, opus ſint. Pleriq; itidem alii de hoc ipſo negocio ſcripſere, verum ex iis alii, non exacte ſatis rem tractauere, nec ſcopum tetigere: alii, breuiores quam negocium ferebat, exigebatq; fuere: alii tandem ſibi ipſis minime conſtant. Non igitur abs re, nec ſine magno verbi Dei concionatorũ vſu, futurum arbitrabar: ſi breue, & abſolutum quoddam opuſculum, hac de re, componeretur, ac ederetur, vbi omnia tamen eo ſpectantia, exacte, & aperte traderentur. Cum tamen tale quodpiam, ab aliquo huius artis perito, nobis dari exoptaſſem: ad idq;, ex iis complurimos, cum mihi notos, tum etiam amicos, exhortarer: perq; vnum, ac alterum annũ, morem geſturos expectarem: nec quiſquam tandem ea præſtare vellet; Rempublicam vero Chriſtianam, antiquam illam, ac eãdem iacturam pati, ſentirem: nequaquã id mali, vlterius ferre valens, ego ipſe negocium aggredi, tẽtaui. Quid vero præſtiterim, quantumue, in hac re,

promouerim,aliorum ſit iudiciũ. Quod potui etenim præſtiti, plurimũ certe præſtiturus,ſi ingenii vires,atq; facultas,mei animi affectum (cuius conatus tantummodo hic obſeruari vellem) ſubſequerentur.Cæterum cum in concionibus formandis,nihil tam nos iuuare poſſit, q̃ ſacrarum literarũ cognitio ,eamq; illi tantum aſſequant̃,qui veram diſcendæ theologiæ viam,& rationem norunt: minime etiam ab hoc loco alienum eſſe arbitrabar,ſi & de hoc ipſo, tractatum conficerem,qui priori de concionum formatione,coniunctus,& inſertus eſſet.Verum noſtri loco,breuem quãdam huiuſce rei methodum doctiſſimi cuiuſdam,hic ſubrogandam cenſui, paucis tamen quibuſdam ei tractationi a me adiectis,& appoſitis.Quantuluſcunq; vero meus hic ſit labor,tu (Illuſtriſſ.Eccleſiæ Princeps) mihi digniſſimus occurrebas, cuius acerrimo calculo , ſimul & beneuolo patrocinio, committeretur : tu inquam , cui (ſi per Cardinalitii ordinis maxima ac ſum

ma illa negocia, licuisset) adeo facile erat hac de re scribere, eamq; ita diserte tractare, vt vel ipse solus nobis sufficeres. Mirabuntur tamen fortassis qui me norunt, & inciuilitatis (ne dicam ingratitudinis) me arguent, quod cum pane Reuerendiss. & Illustriss. Domini mei D. Bonifacii Ferrerii Cardinalis Ipporregiensis iam vescar, qui licet in gerendis grauissimis quibusq; negociis tam excelleat, vt literarium nomen post habere videatur: acerrimo tamen literarum omnium præditus sit iudicio: nullusq; illo, literario exercitio, libentius, largiusue faueat, vti ex Collegio ab eo Bononię erecto (vt cætera taceam) cuiq; videre licet: & cui tádem, ipse ego, infinitis pene deuinctus sim beneficiis, alteri tamen, q̃ eidem mea dedicarim scripta. Accedit & ad hoc, quod cum clarissimo, ac ingeniosissimo eius nepoti Vercelarum Episcopo, cum Dialecticam, tum etiam Rhetoricam artem aľs sim interpretatus, quas adamussim, & exactissime ipse calleat, ac tota

hæc nostra tractatio duabus illis pene disciplinis tantummodo absoluatur, iure videatur illi soli hic noster labor deberi. Sane quod illorum vtrique non modo a me hæc, sed iis multo maiora, & quam quod ego præstare possim, debeantur, neq; possim, neq; inficiari volo. Tamen scio & Patruū & Nepotem tanto te prosequi amore, vt cum tu id obsequii semel tantum a me acceperis: & ipsi bis se accepisse arbitrentur. Venerandus.n.ille senes, te vt charissimum fratrem, ac nepos eius tanquam obseruandissimum sibi patrem, habent, atq; colunt. Tuæ igitur grauissimæ censuræ, merito hæc castiganda, ac purganda cōmitto. Tuo præterea fretus præsidio, audacius hęc edere non vereor: qui te sciam a toto Theologorum cœtu, tam suspici, atq; obseruari, vt si vel intelligant, qualescunq; nostras has lucubrationes, tibi non displicere, teq; vtcūq; eisdem fauere: confideter satis, fore sperem, vti ab omnibus amplectātur. Illud item non parum me mouit, vt tibi, meo

ſemper obſeruandiſſimo domino, meas hasce nuncuparem vigilias, quod Prędi catorum Religionem ſis profeſſus. Cui ſa crato ordini, non modo ſummo tu es or namento, & ſplendori, verum, tam es ei totis viſceribus affectus, vt nullis non, Religionem illam ſis proſequutus bene-ficiis. Quod vtiq;, inter complurima alia huiuſce rei munimenta, vel magnificen-tiſſima illa, Salmanticæ, in ſancti Stepha ni Cœnobio, abs te, tam ſumptuoſe ere-cta, maxime teſtantur. Cum tot igitur mu neribus Prædicatorum ordinem affece-ris, afficiasq; quotidie: & vt hoc etiam, per te beneficium acciperet, æquum iudi caui. Illi enim Religioni (inter omnes) opuſculum hoc, maxime & conuenire & inſeruire poſſe certum eſt, quippe quę ad Dei verbum prædicandum inſtituta ſit. Accipies igitur tu, e manibus ſeruuli tui huius, munuſculum hoc, vt recipiant & illi. Veruntamen vt magis tu, affectum, quo hæc tibi offeruntur, q̃ minutula hu-iuſmodi, reſpicias, obſecro. Et bene in

multos, ac feliciſſimos annos valebis. Chriſtũq; precor, vt te nobis, (ad ſuam conſeruandam, ac decorandam Ecclesiam) ſanũm, & incolumem conſeruet atq; gubernet. Amẽ.

Romæ VIII. Cal. Decembris. Anno M. D. XLII.

SCRIPTVRVS De sacris concionibus recte formandis, breuem, & compendiariam quandam viam ita psequi decreui, vt tandem nihil quod ad hác rem facere videatur, prætermitti patiar: vti omnia tamen paucis absoluantur, quantum potero, curabo. Debito igitur ordine seruato, ita in hac re procedemus, vt in tractatulos duos, totum diuidaẽ opusculum. In primo enim de Arte ipsa, deq; Artifice artis huius agendo: dicam, quid ars hæc, quot eius partes, quid earũ vnaquæq;, quæ sit istius artis materia, vnde maximam consequatur laudem, quodq; ipsius opus, quod alii instrumentum artis appellant. Et de artifice, quis sit, quod eius officium, quis & quotuplex ipsius finis, seu (vt alii dicunt) quod, & quotuplex ipsius opus, quod in idem redit. In secundo vero tractatu, in quo de concione, aut de sacra concionatoris oratione: hæc explananda, scilicet, quid oratio, seu sacra concio, quot eius partes, quidq; ea-

rum vnaquæq; , ac de recto & apposito earundem vsu, & his totum hoc nostrum absoluemus opus. Quibus rite comparatis, facile cuique erit, opinor, sacras recte formare conciones. Cæterum monendus hic lector venit, formulam hanc nequaquam ineruditis, aut indoctis paratam: sed illis tantummodo, qui, cum in liberalibus omnibus disciplinis, tunc etiam in sacris maxime literis, non mediocriter, nec vulgariter sint instituti. Sacram enim scripturam ignoranti, hæc minime vsui erunt: quoniam illa est sola docenda, ab eaq; firma omnia testimonia petenda. Verum (hac nostra tempestate) non omnibus, (etiam Theologis) datũ est, vt rectam sacræ Theologiæ discendæ rationem, assequantur. Vnde factum est, vt frequenter pro sacra, & Euangelica doctrina, vanæ (in Ecclesia Christi) nugæ doceantur. Propterea igitur consulto mihi factum videbatur, si nostro (de cõcionibus formandis) opusculo, breuis quędam ratio Theologiæ discendæ (peritis-

ſimi cuiuſdam viri) præponeretur. Nõ parum porro fructus, ac iuuaminis (& in ipſis concionibus formandis) hũc etiam tractatulum, Concionatori allaturũ, ſpero: vt quiſq; per ſe ipſum facile experiet. Plus forte lucis in eo contenta, intelligenti, ac commode vtéti (in re theologica) afferent, quam multorum Commentarii. Paucula ſunt hęc, fateor, ſed ſi intelligantur, magna, & multa videbuntur. Verum ſi quis, non iis tam aſſuetus, per ſe ipſum minime hęc aſſequatur, (vti fieri poteſt) vt cum aliis diutius in re theologica verſatis, bonarum tamen literarum non ignaris conferat, neceſſum eſt. Quod quidem ſi fecerit, remq; aſſequutus fuerit, nunquam meum, hic, non laudabit conſilium.

BREVIS (CVIVSDAM DO-ctissimi viri) discendæ Theologiæ, ratio.

RECTE si velis Theologiam discere, illud initio prestandũ est, vt textum Bibliorum familiarem habeas. Qua in re meũ consilium est, vt mane postquam, surrexisti, & vesperi cum cubitum ire voles, leges tanquam orandi causa, vnum, atque alterum caput. Ita Biblia ordine legéda, & siquis occurrit obscurus locus, quærendus est interpres. Et simul obiter sunt excerpendæ præcipuæ sentétię, quæ sunt in locos communes dirigendæ, qui continea nt summam doctrinæ Christianæ.

Nomenclaturam talium locorum, etsi ex quatuor sententiarum libris (quos sic appellant) vtcunq; colligere possis: ex Concilio tamen Coloniensi facilius, & plenius, accipies.

Preterea danda opera est, vt informes tibi methodum aliquam, in qua sit sum-

ma doctrinæ Christianæ. Et ad hanc ac-
commodanda est epistola Pauli ad Ro-
manos. Hæc enim propemodum est me-
thodus totius scripturę, quia disputat de
iustificatione, de vsu legis, de discrimine
legis, & Euangelii, qui sunt pręcipui loci
doctrinæ Christianæ. Quanq̃ & Christus
tradit methodum his verbis, cum iubet
prædicare pœnitentiam, & remissionem
peccatorum. Sumas igit tibi certam ali-
quam horam, aut si libet duas, ad legen-
dam epistolam ad Romanos. Hic diligé-
ter expendendæ sunt omnes sententię, &
considerandum quid in vtranq; partem
dici possit. Et quærenda certa Pauli sen-
tentia, obseruanda series argumentorum
& propositionum. Hac lecta, postea acci-
piéda est in manus epistola ad Galatas,
quæ & ipsa veluti methodus est. Post
hanc & ad Colossenses legenda. Legendi
etiam communes loci, Concilii Coloni
ensis. Eos tamen qui vel mediocriter, in
Theologia, quam scolasticã dicunt, non
fuerit institutus, vel non intelliget, vel nõ

admodum recte accipiet. His igitur diligenter lectis, habebis quasi summam doctrinæ Christianæ. Facile ergo intelligi iam cæteræ epistolæ Pauli poterũt, quia subinde idem docent.

Deinde legendum euangelium Matthæi, aut Lucę, quoniam Marci, epitome est Matthæi. Atque hic videndum quomodo accommodanda sint omnia, & in locos illos communes inculcanda, vbi Christus loquatur de pœnitentia, seu timore, vbi de fide, seu spe, vbi de oratione, vbi de charitate, vbi de rebus ciuilibus, de magistratibus, vbi de statutis, seu legibus humanis, vbi de sacramẽtis, vbi discernat legem ab Euangelio, Euangelium a politica prudentia, vbi de cruce loquatur, vbi commẽdet ministerium verbi, vbi ecclesiam describat. &c. Postea legendum Euãgelium Ioan. quod magna ex parte continet conciones Christi de fide, charitate, & iustificatione.

Instruendus & libellus articulorum fidei, de Trinitate, de creatione, de dua-

bus Chriſti naturis, de peccato originali, de libero arbitrio, de iuſtitia, de eccleſia, de clauibus, de premio bonorum operũ, & punitione malorum, de ſacramentis. Hic libellus pene ſimilis erit locis communibus, ſed tantum breuiter debet tenere ſententias, quæ probent articulos, ſeu dogmata fidei, ſicut in Concilio Colonienſi, in expoſitione ſymboli factum eſt, cuius exemplum inde petere potes.

Poſtq̃ ſic præparatus es in nouo teſtamento, cognoſcendum eſt & vetus. Et accipiendus in manus vnus aliquis liber, qui diligenter legatur. Vellem initio legi Geneſim cum enarratione, poſtea Deuteronomion cum enarratione, deinde Pſalterium. Et in iis diligenter videndum eſt quomodo & hæc quadrent ad locos illos communes, qui ſummam doctrinæ Chriſtianæ continent. Nam in his libris eadem eſt de fide, ſpe, & charitate, de timore, de cruce, de bonis moribus doctrina, quæ eſt in Euangelio. Quærendæ etiam promiſſiones, & comminatio

nes. Hæc tum demum intelligi poterunt cum aliquis in vita vſus accedit, cum tentatio exercebit animum, & orare coget. Neq; vnquam tamen deſunt orandi occaſiones. Ac diligẽter in Pſalterio diſcernendi ſunt Pſalmi. Alii cõtinent prophetias, alii ſunt deprecationes tantum, alii continent præcepta, alii continent promiſſiones. Hæc genera facile animaduertet, vel mediocriter peritus literarũ communium, & ſciet quomodo reponenda ſint in locos communes, de quibus ſupra dixi.

Poſt Pſalterium legendi ſunt Prophetæ cum enarrationibus, vt Ionas, Zacharias, &c. Hic videbis quomodo author illarum narrationũ totam rem ad communes illos locos transferat, de quibus ſupra dixi, namq; talis quiſpiã eſt legendus. Proderit etiam conferre alios interpretes, vt videas quam inepti ſunt illi, qui non norunt, rem ad illos locos reuocare. Deinde lecturus reliquos Prophetas non difficulter intelliget eos. Sciet

enim

enim eos partim arguere peccata, ſeu le-
gem docere, partim vaticinari de Chri-
ſto, ſeu Euangelium tradere, & conſolari
conſciētias. Referet tamen omnia aut ad
doctrinam de pœnitentia, aut de fide,
ſpe, & charitate erga Deum, aut de cru-
ce, aut de aliis locis cognatis. Multum ta
men adiuuabitur in iis etiam a diuo Hie-
ronymo, nonnihil a Lyrano, qui ſatis di
ligēs eſt in hiſtoria. Et qui ſciet omnia ad
locos communes referre, huic nihil opus
eſt quærere multos ſenſus. Hoc potius
agat, vt certam quandam ſentētiam con-
ſtituat, quæ certo conſcientiā docere poſ
ſit de voluntate Dei. Eſt enim ad vſum,
& ad tentationes comparanda cognitio.
Illud tamen nequaquam hic prætereun-
dum, quod etiam ſi multiplex ſacræ ſcri-
pturæ ſit ſenſus, maximo tamen cum iu-
dicio, & ratione illa ſenſuū varietas, inde
venanda eſt. Non enim cuiq; loco, quiſq;
ſine diſcrimine ſenſus, conueniet. Vna
etenim eſt & ſimplex, ſcripturę ſententia,
quam adfert grammatica enarratio. Hęc

vna cum ſit certa, maxime docere, & con firmare conſciẽtias poteſt. Sequamur igi tur ſemper (ſi ſcriptura ipſa permittat) iuxta Grammaticæ, ſeu Rhetoricæ pręce pta, propriam, & natiuam ſententiam. Interdum tamen allegoria vti conceſſum eſt, ſi id cum iudicio, & ratione quadam fiat, & in talibus locis, quos conſtat ideo traditos eſſe, vt recte aliquid ſignificarẽt, vt ſiquis propitiatorium, & arcam inter pretetur. Et tamen allegoriam tractanti bus, ſummam Chriſtianæ doctrinæ tene re opus eſt, alioqui non poteſt fieri, quin recta via deerrent. Sicut ſæpe videmus multos hallucinatos eſſe. Videndum eſt igitur quid ſit conſentaneum ſcripturæ: nam ſi pugnet allegoria cum apertis ſcri pturis, explodenda erit. Et ita certe non eſt mediocris prudentiæ intelligere, vbi deceat allegoria. Iam vero hoc in allego riis ſeruetur, vt ſicut aperta ſignificatio, vna eſt, ita non plus vna ſignificatione la tuiſſe in litera putetur, vt mactatio agni phaſis nihil ſignificat, niſi Chriſti mortẽ.

In sensu vero quem tropologicum, seu moralem vocant, non mutatur significatio verborum historiæ, tantum simile exemplum ostendit, quod imitari nos conueniat. Sicut in humanis literis exempla proponuntur, vt siquis exemplum commemoret mulierculę, quæ patrem, quem Triumuiri Romæ fame necari iusserant, in carcere vberibus suis aluit. Cum adhortamur liberos, vt pietaté parentibus præstent, similitudo mouet animos, verba historiæ in aliam significationem transferre nihil opus est. Cum recitamus Christũ dedisse Didrachmum, & hortamur, vt illius exemplo magistratus vereamur, non mutantur historiæ verba, sed propter facti similitudinem accõmodantur ad præsentem causam. Vt Abraham deseruit patriam, ita nos relinquere potius omnia debemus, quam offendere Deum: exuere amorem rerum præsentium debemus, & sequi voluntatem Dei. In talibus locis nihil opus est mutare historiæ verba, sed a simili talia argumenta ducuntur.

Obſcurus locus in ſcripturis apertio-ri exponendus, vt ſcriptura ſcripturæ ſit expoſitio, ne committatur quid humano ingenio quod poſſet (ſicut in quorũdam interpretum nugis ſæpe factum videre li-cet) comminiſci, quod vel a ſcripturis alienum eſſet, vel prorſus pugnaret. Scri pturam tamen ſcripturæ locis exponere non eſt opus, niſi coegerit, aut loci obſcu ritas, aut breuitas.

In ſcripturis præterea loci ſunt plerique multi, qui ſecum in ſpeciem pugnare vi-dentur. Hos expedies, vt congruant ſibi per circunſtantias textus, & conſiliũ ſcri-ptoris. Sicut vnus eſt Dei ſpiritus, ita eſt vna & eadem ſpiritus ſententia, pugnan tia loquitur nũquam. Sæpe etiam pugna re videntur loci, propter vocabula ab in-terpretibus, aut perperam, aut ſuperſtitio ſe reddita: hos natiuis expones linguis, quibus loquutus eſt dominus.

In legendis hiſtoriis ſacris, in primis obſeruandum eſt, quod Deus in ſcriptu-ris ſacris duplicia exempla reliquit me-

moriæ prodita, gratiæ, ſcilicet, & iræ. In quibus velut ob oculos ponit legis, & Euangelii virtutem, incomprehẽſibilem ſuam bonitatem, & facilitatem, & intolle rabilem ſuam ſeueritatem iuſti iudicii. Sunt itaq; hiſtoriæ perpetua, voluntatis diuinæ tum erga pios, tum impios, argu menta: qualis tum erat Deus erga impi- os, talis eſt & hodie. Ita hiſtoriæ ad poſte ros pertinent, non quod hiſtoriæ reſpici- ant ad hominis ipſius perſonam, ſed ad ipſius aut pietatem, aut impietatem.

Accõmodaturus hiſtorias, recte opor- tet inter ſe conferat illius ſeculi mores cũ huius ſeculi moribus. Omnia quę nouũ, aut vetus teſtamentum habet, ad nos po ſteros pertinent quoq;. Omnia ſiquidem ſcripta ſunt ad noſtram doctrinã, & con- ſolationem. Ad hæc hiſtorię ſunt prophe tiæ loco, cum ſint hypotypoſes, & zogra phiæ piorum, & impiorum: ſunt quoq; prophetarum veteris teſtamenti ſigilla. Qui ad hunc modum accommodauerit hiſtorias, docebit feliciter. Sunt etiam in

historiis eligenda exempla politica, quæ docent qualia magistratuum debeant esse officia. Non est negligenda temporum supputatio, & cætera, quæ Grammatici, aut Rhetores iubent obseruare.

Interim cum sic verfaris in Bibliis, interdum legendum est aliquid Augustini: nam is longe præstat aliis veteribus, præsertim in iis, quæ scripsit contra Pelagianos, de spiritu & litera. Item contra Iulianum. Inspiciendus aliquando Hieronymus, & alii antiqui, & sacri doctores, ac obseruandum quid iis desit, aut in qua parte maxime valeant.

Legendi & veteres Canones, Cōcilia, & patrum Decreta, vt sciamus quid decreuerit, & cōstituerit Ecclesia. In tota vero doctrina ecclesiastica diligenter obseruandum est, quæ pars ad spiritualem vitam proprie pertineat, quæ pars doceat de ciuili cōseruatione, & de politicis rebus Sciendum quid ad Euangelii doctorem pertineat, & doctrina Euāgelii procul seiungenda est a politica. Neq; tamen

improbandæ ſunt res politicæ , ſed vt aliæ bonæ creaturæ honore adficiendæ.

Et quia ſæpe accidit , vt defendenda ſint dogmata Chriſtiana,præpares te ad id quoq; quod fit in ſcolis.

Aliquid operę collocandum eſt in humanis literis,& exercendus ſtylus, vt cũ opus erit , perſpicue explicare poſſimus controuerſias religionis. Et prodeſt aliquando ſumere aliquam controuerſiam, eamq; accuendi & exercendi iudicii gratia præſcribere. Potes Anabaptiſtas refellere,qui contendunt a facultatibus diſcedendum eſſe , easq; in cõmune conferri oportere. Item non eſſe iuramentum pręſtandum magiſtratibus,& ſimilia.

Eſt etiam & ad perfecte intelligendas ſcripturas & refutandos hæreticos , cognitione linguarum opus. Multæ enim controuerſiæ diiudicari poſſunt, recte cognita natura ſermonis & figurarũ. Neq; tamen de natura ſermonis , & de figuris iudicare poterit quiſquam,niſi legerit eloquentium hominũ ſcripta,Ciceronis,

Liuii, Vergilii, Terentii, Ouidii, Quinti-liani. Addendi sunt & Græci, Homerus, Herodotus, Demosthenes, Lucianus. Ad hæc accedat stylus seu exercitium scribẽdi, quæ res vel in primis acuit iudiciũ.

Si quid ex philosophia aut iure volet Theologus sumere, viderit ne inepte cõmisceat doctrinam spiritualem cum politica. &c.

Cæterũ Dialectica perinde opus est, vt Grammatica & Rhetorica. Nam cum iis ita coniuncta est, vt diuelli ab eis non possit. Ego tamen optarim, Theologos non negligere philosophiam, quia non nulli vituperant alias artes, cum non nouerint, qui si nossent, pluris facerent. Sed hic magnopere opus est cauere, ne inepte confundatur doctrina Christiana & philosophica. Quare scire oportet earũ regiones & interualla. Idem de Iurisconsultorum disputationibus iudico, quas aliquando inspicere conducet.

Breuiter hic complexi sumus cõmunissima præcepta theologiæ discendæ,

de quibus

de quibus multa multi compoſuerũt vo lumina. Verum ego non admodũ opus eſſe lõgioribus preceptis in hac parte iu- dico. Nam via quadam cognita, poſtea res non in libellis, aut preceptorum mul titudine quærẽda eſt, ſed potius vſu com paranda. Addemus tamen ad ſuperiora precepta, vnum quod maximam in hac doctrine parte vim habet, vt, ſcilicet, con ſideremus, qui loci communes hereant in re, vel cauſa ſcripture nobis propoſi- tæ, & quæ rationis obſeruatio in illis in- de deligendis, habenda ſit. Et quoniam (vt in prefatione monuimus) tractatum iſtum ad faciliorem Concionum forma- tionem ordinamus, ab ipſis eccleſiaſticis Concionibus exempla ſumemus, quæ prorſus otioſe erũt, niſi ad precipuos lo- cos doctrine Chriſtiane referãtur. Siquis igitur enarret hiſtoriam Dauidis, quo- modo propter admiſſum adulterium a Propheta obiurgatus ſit, locus commu- nis erit de pœnitentia. Etſi enim & de adulterii turpitudine multa dici poſſunt,

tamen delectus adhibēdus est locorum, & excerpendus is, qui maxime proprius est doctrinę Christianę. Porro in hac historia omnes pœnitentię partes egregie depictę sunt. Habet enim non solum obiurgationem, sed etiam absolutionem, quam in sacris historiis pręcipue quęrũt pię mentes.

Voco autem locos communes, non tantum virtutes, & vitia, sed in omni doctrinæ genere præcipuos locos, qui fontes, & summam artis continent. Neq; tamen omnibus vbiq; vtimur. Sed vnusquisq; sciat se debere suæ artis pręcipuos locos tenere, vt cum aliqua de re dicendum erit, statim offerant se idonei loci.

Quidam putant se locos communes tenere, cum de variis rebus coaceruatas sententias habent, quas passim tum ex sacris literis, tum ex Poetis, tum ex Oratoribus excerpserũt. Et quia iudicant hanc coaceruationem insignium dictorũ perfectam esse doctrinam, nihil habent consilii in legendis authoribus, nisi vt inde

tanquam flores dicta quędam decerpát. Interim nullam artem perfecte diſcunt, nullum ſcriptum totum intelligunt, nuſquam totum orationis genus conſiderant. Hoc ſtudium exiguam habet vtilitatem, & hoc nomine plurimũ nocet, quia in ſtultis doctrinæ perſuaſionem parit, qua nihil eſt pernitioſius. Sciendum eſt igitur, ita locos communes recte cognoſci, ſi artes illæ in quibus verſantur, perfecte cognitę fuerint. Et vt locos communes apte in cauſis intertexere poſſimus, opus erit perfecta eorum cognitione. Verum quia in ciuilibus negociis ſæpe exiſtunt diſputationes de virtutibus, de vitiis, de fortuna, de lęgibus, conſuetudine: ideo Rhetores horum locorum præcipue mentionem faciũt, qui tamen neq; perfecte intelligi, neque copioſe, ac varie tractari poſſunt, niſi cognitis illis artibus in quibus verſantur. Quare neceſſe eſt ad bene dicẽdum addere ſtudium omnium maximarum artium, philoſophiæ doctrinæ, religionis, ac iuriſpublici.

Interim tamen hoc ſtudium colligendi dicta ſcriptorum, habet aliquam vtilitatem. Habent enim multa lumina verborum, & multas figuras, vt elegans metaphora eſt in verſu de experientia, Diſcipulus eſt prioris poſterior dies. Neq; ſolú propter venuſtatem citantur, ſed etiam propter authoritatem: habent enim velut pondus teſtimonii, quia a magnis viris proditæ ſunt. Interdum etiam breue aliquod dictum ita rem definit, vt magis oſtendat eam, q̃ prolixæ diſputationes Philoſophorum, vt definitio legis apud Demoſthenem. Quare hęc diligentia colligendi ſententias, non ſolum verborum copiam alit, ſed nonnihil etiam ad rerũ cognitionem conducit: ſed tamen vt copioſe, ac varie tractari loci communes poſſint, accedere oportet ex ipſis artibus perfectam doctrinam.

Cæterum ad colligendas ſententias etiam adhibẽda eſt ratio quędam. Nam & memoria adiuuabitur, cum ordine diſtribuerimus eas in certas claſſes, & hæc

distributio rerum inter se ordinem osten-
det. Est autem & hæc quædam pars eru-
ditionis, rerũ ordinem, initia, & progres-
siones videre. Optima autem in distribu
endo œconomia erit, si sequemur artiũ
discrimina. Cauendum est enim (vt sæpe
iam monuimus) ne confundantur artes,
sed obseruandum, qui loci sint theologi-
ci, qui sint philosophici. Ac philosophici
possunt peti ex partibus hominis, ratio,
artes, prudentia, virtus, affectus, consue-
tudo, corpus, forma, ætas, fortuna, diui-
tiæ, œconomia, coniugium, educatio li-
berorum, politia, magistratus, lex, bellũ,
pax. Facile est autem genera partiri, & vi
dere quæ sententiæ, quæ exempla, quę si
militudines in qualibet specie collocari
debeant. De hac ratione annotãdi, extat
Rodolphi Agricolæ epistola, quam vel-
lem studiosos omnes ad verbum edisce-
re, eam in calce huius opusculi subscri-
bemus.

FINIS.

DE SACRIS CONCIONI- bus recte formandis, Tractatus Primus.

QVEMADMODVM sine cõtrouersia, solus Dei spiritus proditæ scripturæ est author, ita & solus sui verbi est verus, ac fidus interpres, imbuens omniũ fidelium animos sana, & recta verbi sui cognitione. Verum exterius etiam per suos quoq; ministros homines, de sua nos docet voluntate, suumq; per eos nobis verbum proponi vult. Hæc tamen institutio non fit his seculis, Euangelio confirmato miraculis, & prodigiis, sed diligenti, nõ modo sacrarum, sed aliarum quoq; scientiarum, lectione. Has siquidem non temere dedit dominus, sed vt sint, tum adminicula, tum etiam emblemata. Quod autem ad docendi, aut discẽdi modum spectat, id ex Dialecticis, & Rhetoricis est petendum. Nemo est tam perspicax ingenio, qui non infelicissime, omni opera lu

sa, vel discat, vel doceat, neglecta Dialectica, & Rhetorica. Nemo etenim clare, exacte, proprie, ac ordine docebit, nisi Dialecticam, & Rhetoricam fuerit secutus velut Thesei filium. Has autem qui sequitur duces, præter hoc, quod non modo suam adiuuat memoriam, sed aliorũ, itidem rem ita exponit plane, ac si in tabulas suis expressam coloribus cerneres. Cæterum licet concionandi ratio, artis Rhetoricæ, quędam vel pars, vel imago sit, nonnihil tamen ab ea differt. Habet enim suas sibi accommodatas definitiones, suoq; peculiari quoq; modo, dicendi genera tractat. Quod quo pacto fiat, prout nobis a Christo dabitur, hic ostendemus: ab ipsaq; huius artis definitione exordium faciemus, quam sic definire placet.

De arte concionandi.

ARS concionãdi, est facultas hominem alliciendi, ad virtutes, & con-

templationem, ac cognitionem diuinorum, ex sanctarum scripturarum promulgatione.

Ex promulgatione inquã, sanctarum scripturarum: quoniam hoc differt oratio de rebus sacris, & ꝓphanis. Prophana formari potest sagaci industria. Sacra autem sacris scripturis fingẽda est, etiam contra humani ingenii acumen: ob id conuenit egregie versatum esse in sacris, qui Rhetorico ordine declaraturus sit.

De partibus huius artis.

ARTIS concionandi partes, numero sunt quinq;, scilicet, inuentio, dispositio, elocutio, memoria, & pronunciatio. Quæ & ideo partes huius artis habentur, quod ex his veluti integraẽ ipsa & constituitur, imo vero vel ob id, quod si earũ aliqua defuerit concionatori, imperfecta in eo hæc ars siue facultas erit. Harum igitur vnamquãq; ordine tractabimus, & primo de inuentione dicemus quid sit.

De inuentione.

INuentio est rerum verarum, aut verisimilium excogitatio, quæ causam probabilem reddant, hoc est, quæ faciant, vt fides habeať iis, quæ a Concionatore dicuntur ad persuasionem. Omnia enim quæ in Concione Concionatori sunt dicenda, prius ab eodem sagaci, & pruden ti cogitatione, inuenienda sunt.

Primo igitur oportebit Concionatorem inuenire, & excogitare, proposito themate, ad quod genus causæ (de quibus generibus inferius dicemus) proposita ad dicendū res, hoc est, thema ipsum pertineat. Deinde vbi illud iam cognouerit, iterum illi excogitādum erit, vnde dicturus de re proposita, exordium sumat. Post exordiū deinde quomodo narret singula inuenta, atq; disposita. Rursus post hoc si multa illi dicēda forēt, quemadmodum ea omnia per partes distribuat: ne, scilicet, illorū multitudine, & per plexitate, intellectus auditoris confundatur, distrahaturque. Post hęc quibus quæ

narrauerit, argumentis confirmet, aut vicissim quę contra se adduci possunt argumenta, cõfutet. Postremo quo pacto hæc omnia Peroratione congrua, atq; decenti agat, & concludat.

Quibus quidem ad istum modum rite peractis, videbitur ipse haud dubie officio suo probe functus esse.

De dispositione, & de duplici eius rõne.

Dispositio est, per quam illa quæ inuenta sunt, in ordinem quendam rediguntur; hoc est, ordo, & distributio est rerum inuẽtarum, quę demonstrat, quid, quibusq; locis, sit collocandum.

Per hanc artis partem intelligimus, quę dicenda sunt, quo loco, quo modo, & quando dicenda sunt.

Huius quidem partis duo sunt modi: vnus qui ab institutione artis proficiscit, & hic ordo naturalis est, vt qui ex natura causæ, id est, rei de qua agitur, procedit: alter qui ad casum temporis accom

modatur,hoc eſt, qui Concionatoris in-
genio,& artificio comparatur, vnde arti
ficioſus ordo appellať. Quippe qui per-
ſonis,locis , temporibus accõmodatus,
naturalem rei ordinem, artificioſe, inge-
nioſeq; cõmutat.Quæ,vt perfectius, ple-
niusq; intelligantur,paulo latius declare
mus.Naturalis igitur ordo eſt , cum poſt
orationis principiũ,narratio, & reliquæ
deinde ipſius orationis partes,quæ ſunt
diuiſio,confirmatio , confutatio, & per-
oratio,ordine ſequuntur. Artificioſus ve-
ro eſt, cũ Concionatoris iudicio ad tem-
pus diſpoſitio accommodatur , hoc eſt,
cum a naturali ordine ad tempus recedi
mus,vt ſi prætermiſſo principio, ſiue ex-
ordio , a narratione dicere incipiamus,
aut ab aliqua firmiſſima argumẽtatione,
aut ab aliquarum literarum recitatione,
ſi forte literæ apud nos extent , quæ cau-
ſam noſtram iuuare poſſint : aut poſt ex-
ordium confirmatione vtamur , deinde
narratione : aut ſi quam huiuſmodi natu
ralis ordinis permutationem faciamus.

Quorum sane nihil alioqui, nisi causa po stulauerit, fieri oportebit.

De elocutione.

ELocutio est idoneorum verborum, & sententiarum ad inuentionem accom modatio.

Quod ait ad inuētionem, intellige ad res inuentas. Nam prius res habere opor tet, deinde verba accommodare. Hac ef- ficitur, vt cum quis ornate, distincte, aper teq; dixerit, eloquentia merito esse videa- tur. Qui de elocutione scripsere, eam quá breuissime in duabus partibus consistere dixerūt, in verbis, & sententiis: id quod ex eius hic definitione posita, facile intel- ligi datur. Cęterum nollem Concionato rem in hac parte nimium solicitum esse. Vanissimum enim illorum studium est, & simul tum laboriosissimum, qui præ- scripta verba ediscunt: rem nobis bene meditatam oportet, pręterea ordinē quo tractare singula volumus. Et tum sicut

corpus vmbra sequitur, ita ipsa vltro se offerent verba, iuxta versiculum Horatii in arte poetica.
Verbaq; preuisam re non inuita sequunt.

De memoria.

MEmoria est firma animi, rerũ, & verborum, dispositionisq; perceptio.

Hęc, licet natura maxime constet, multum tamen in ea valere artem, & praeceptionem certum est. Sunt igitur memorię duę, vna naturalis, altera artificiosa. Quę etiam ita inter se mixtae sunt, atq; coniunctae, vt sicut naturalis arte seruanda est, ita artificialis iuuanda sit natura.

Naturalis memoria est, quę nostris animis insita est, & in nobis sine multa cogitatione nata.

Artificiosa memoria ea est, quam confirmat inductio quaedam, & ratio praeceptionis. Quippe quae multa indiget cogitatione, imo nihil aeque, vel augetur cura, vel negligentia intercidit. Huius por

rò artificii hoc munus præcipuum est, vt nō tantum firma, verū etiam celeri comprehēsione res, verbaq; percipiantur. Relicta igitur naturali memoria, de artificiosa tantum in præsentia dicamus.

Et hác partem cæteris huius artis partibus latius, prolixiusq; tractare hic placet, quoniam hęc vtiq; huiusmodi est, vt præter eam totus labor, qui impenditur huic studio, inanis fere sit, nisi cæteræ partes, hac veluti spiritu contineantur: hoc ipsum affirmāte Cicerone in prologo de Oratore. Quid (inquit) de thesauro rerū omniū memoria dicam, quæ nisi custos inuentis, excogitatisque verbis, & rebus adhibeatur, intelligimus omnia etiam si præclarissima fuerint, in Oratore peritura? Merito igitur aliquantulus in hac parte, maior colocandus labor.

Constat autem artificiosa memoria ex locis, & imaginibus. Nam sicut id quod scribitur, cera, aut carta continetur & literis, sic quod memorię commendandum est, in locis tanquam in cera, paginaq; si-

gnetur. Imaginibus enim quasi literis rerum recordatio continetur. Quæ tamen res, magnam exercitationem, laboremq; conquirit, in qua omnia quæ sequuntur obseruanda sunt præcepta.

Scribamus ipsi quę facile volumus retinere, hoc est, meminisse.

Si longiora fuerint, quæ sunt ediscenda, ea per partes diuidãtur. Diuisa enim per partes facilius memoriæ inhærescunt. Tum apponere notas rebus singulis, quas volumus maxime meminisse, oportebit.

Quæ ediscenda sunt, atque memoriæ mandanda, non magna voce legenda sunt, sed murmure potius meditanda.

Nocte magis, q̃ interdiu maturius excitari memoriam manifestum est, cum ad hoc silétium non parum iuuat, nec foras a sensibus vocatur intentio.

Loca sint mediocri luce, mediocri distantia, & in parte quieta, quantum fieri potest, sita, vt & re & nomine possint imaginum rationi correspondere. Sicut autẽ

nimia dilatatio, ita nimia compressio nocet. Cauendum igitur ne nimium dilatata, fusa, ac vaga, incerta, anceps, & ignara mens, fluctuet: quod ne cõtingat, oportebit loca, quę sumpseris, egregie notare, vt perpetuo nobis hærere possint. Nam imagines, sicut literæ, delentur, vbi nihil vtimur. Loca vero sicut cera remanebũt.

Plures loci debent esse, vt plures imagines collocare possimus.

Quintilianus, & Cicero, quintum quemque locum notandum commemorant. Quod nobis aulas, aut cubilia intrã tibus facile fiet.

Locos ordine locatos a sinistra, consueuerunt qdam, recensere ad dexteram.

Nunc ad imaginum rationẽ transeamus.

IMagines sunt formæ quædam & notę, & simulachra eius rei, quam meminisse volumus. Quod genus sunt (exẽpli gratia) Equi, Leones, Aquilæ, aut aliarum quarumlibet rerum: vt si de equitatu, aut

de

de equestri certamine dicturi, de hoc firmam, celeremq; habere voluerimus memoriam, equi imaginem in certo aliquo loco collocare oportebit.

Imagines sunt duplices, quædam rerum, quædam verborum. Rerum similitudines exprimũtur, cum ipsorum negociorum imagines comparamus. Verborum similitudines constituuntur, cum vniuscuiusq; nominis, & vocabuli memoria imagine notatur.

Rei totius memoriam, sæpe vna nota & imagine simplici, comprehendimus. Cum autem verborũ similitudines, imaginibus exprimere volemus, plus negocii suscipimus, & magis ingenium nostrum exercebimus.

Facilior est rerum imaginatio, verborum autem difficilior. Oportebit igitur in hac secunda, memoriam naturalem crebro exuscitare, vt vocabulis positis, ipsi nobiscum primo transeamus bis aut ter eundem versum, seu vocabulorum ordinem, deinde cum imaginibus verba

exprimamus: hoc modo naturæ suppe ditabitur doctrina.

Imaginum quædam facile sunt delebiles quædam longius manét: paruę enim res, vsitatę, & quotidianę, facilius memoria elabuntur. At vero egregiæ, incredibiles, ridiculæ, insignes, & nouæ, diutius manent.

Sint autem similitudines multum cognitæ nobis, & aliquid agentes, cum insigni quadam nota, vel pulchritudinis, vel turpitudinis, aut certe ridiculi cuiusdam. Ad eas constituendas plurimũ nos iuuare solent, quæ sequuntur.

Effictio corporum, vt cum sené facimus tremulentum, incuruum, labiis demissis, canum.

Notatio affectuum, vt voracé lupum, timidos lepores, sic læta iuuentus, tristis senectus, prodiga adolescétia, auarę mulieres, liberales viri, pallida fames.

Etymologia, vt Philippus amator equorum, Iacobus supplantator.

Cognitio verbi a sono vocis, vt tara-

tantara, hinitus equi, mugitus boũ, bom bitus apum, grus gruum. &c.

Rerum effectus, vnde cuilibet mensi officia sua assignamus, cuilibet diei suum planetam, vel hebdomadæ exercitium.

Arma, instrumenta, officia, suos indi/cant authores, vt mola, subula, rastri.

Oppositum sæpe suum contrarium si gnificat, vt testudo pro velocitate, secun/dum ironiam.

Accidens etiam suum subiectum con/notat, vt nigredo Aetiopem, fuscedo Ita/lum, albedo Belgas.

Memoriam aũt potissimũ duo saluãt, positio sub ordine, & frequẽs meditatio.

Ad extremum plures huic arti literas reales adiungunt, quæ multũ valent ima ginibus adpensæ, seu tanquam notæ in/iunctæ. Quæ omnia debet assiduitas exer citationis diligenter experiri.

De pronunciatione.

CVM de quatuor, artis cõcionandi, partibus supra dictum sit, vt de quin

ta, & vltima (pronunciatione scilicet) nunc dicamus, oportet.

Pronunciatio est vocis vultusq; & gestus moderatio cum venustate.

Ex hac definitione tres pronunciationis partes colliguntur, vox, vultus, & gestus.

In voce prima illa est obseruatio, qualem habeas: secũda quo modo ea vtaris.

Natura vocis duabus spectat rebus, quantitate, & qualitate. Quantitate, an sit grandis, aut exigua. Qualitate, an sit plena, an exilis, an lenis, an aspera, an contracta, an fusa, an dura, an flexibilis, an clara, an obtusa. Et sicut bonæ vocis dotes, cura augentur, ita negligentia minuuntur.

Vox igitur sit modesta, sedata, & auditori tamen sufficiens, ac exaudibilis. Vbi præiudicant, loci quantitas, auditorum multitudo, atq; distantia. Omnis autem nimietas vitanda est, vt voculatio non nimis expressa sit, cantare enim, & modulari (vt fit in Italia) vitiosissimum est: nec

sic depressa, vt etiam a proxime astanti/bus, vix, aut minime audiatur, Quo vitio in cōcionis principio quidam, & eorum quamplurimi, stulte laborant, putantes ad vnguem seruare illud Ciceronis in tertio ad Herennium, qui ait: Quam maxi/me sedata, & depressa voce principia dicemus. Qui enim vocem iubet deprime/re, is nec taciturnitatem laudat, nec mussitare præcipit, sed dicere vt facile audiať, licet sedato sono.

Distincta sit vox, singulis literis suo sono pronunciatis, non lingua balbutien/ti, nec nimium accelerata, non naso reso/nante, tussi, sputo, emunctione, labiorum motu, quasi faucibus aliquid obstiterit confuso murmure, aut quasi memoria fe/fellerit silentio deformata.

Virilis sit pronunciatio, a pectore reso nans, non pinguis, subdura, exilis, effœ/minata.

Dulcis sit, non acerba, & agrestis, non acutis exclamationibus violenta.

Præuisa sit, vt dum præsens sententia

pronunciatur, proxima oculo, aut mente prouideatur.

Exordium æquabili voce. Narratio punctuata, & rerum, ac personarum proprietates representante, recitanda est.

Confirmatio, & confutatio adauctiore sono, cum quadam honesta varietate.

Si autem iocosus quispiam incidat sermo, eum cum parua, prudentiq; risus significatione, ostendemus.

Conclusio, virili vultu, voce tonanti, commutationibus crebris, & debita celeritate proferatur.

Commiserationem vero, voce humili, & sono inclinato, crebris interuallis, luctuoso plangore, mœsto, & conturbato vultu proferamus.

Extrema in concione, vno spiritu continenter multa dicamus, vt auditoris animum quamuehementissime moueamus.

De vultu.

DOminatur maxime vultus in cōcione. Nā hoc supplices, hoc minaces,

hoc blandi, hoc tristes, hoc hilares, hoc erecti, hoc submissi sumus, hoc pendent homines, hunc intuentur, hunc spectant, etiam antequam dicamus, hoc quosdā amamus, hoc odimus, hoc plura intelligimus, hic est sæpe pro omnibus verbis. Sed in ipso vultu plurimum valent oculi, per quos maxime animus emanat, vt citra motū quoq; & hilaritate enitescant, & tristitia quoddam nubilum ducant. Quinetiam lachrimas his natura mentis indices dedit, quę aut erumpunt dolore, aut lætitia manant.

Pronunciandum igitur, vultu quam modestissimo, non verecundo, non timido, non mœsto, & etiam arroganti, vel audaci.

De gestu.

GEstus fit recto corporis statu, æquis pedibus, facie, oculisq; secūdum naturam rectis: non facie humiliter deiecta, nec arroganter supina, nec in latus rustice inclinata, nec conniuentibus compres-

sisue oculis.

Manus sint nec immobiles, nec vt leuium histrionū nimis, ac indecore gesticulantes, sed rem grauitate quadam ostédent, & quod vultus aduersatur, ipsæ repellant. Cauendū ne gestu ad latera verso, alterius lateris auditores, vocem parum concipiant.

Vitiosi gestus sunt, suspicere, & tacédo intueri laquearia, perfricare faciem, crebro digitorum, labiorumq; motu commentari, infringere articulos, supercilia corrugare, manus intueri, simulare solicitudinem, & cætera id genus deformia.

Omnia igit͏̃ hæc maxima cura in pronūciatione obseruanda, quoniam habet pronunciatio miram quandam in Concionibus vim, & potestatem. Nam non tam refert, qualia sint, quæ intra nos met ipsos composuimus, q̃ quomodo efferantur. Ita enim quisq; vt audit, mouet͏̃.

Affectus siquidem omnes languescant necesse est, nisi voce, vultu, totiusq; prope corporis habitu inardescant.

Hæc

Hæc tamen omnia, tria nobis copio/ſiſſime ſubminiſtrabunt, Ars, ſcilicet, & optimorum imitatio, ac exercitatio in/defeſſa.

De materia artis concionandi.

CVM ſuperius de concionandi arte, deq; partibus eius dixerimus, quæ eius ſit materia hoc loco dicendum. Ma teriam artis eam dicimus, in qua omnis ars, & facultas, quę conficitur ex arte, ver ſatur. Vt ſi medicinæ materiam dicimus morbos, ac vulnera, quod in his omnis medicina verſetur. Item quibus in rebus verſatur ars, & facultas concionandi, eas res materiam artis concionandi no/minamus. Has autem res alii plures, alii pauciores exiſtimauerunt. Nos autem (qui omnes ferme, qui de hac re ſcripſe/re, vidimus) tribus in generibus rerum, verſari Concionatoris officium, ratione colligimus, Didactico, ſcilicet, demon/ſtratiuo, & deliberatiuo.

Didacticum genus eſt, quod poſitum

in dubitatione, quandam habet in ſe fa-cultatem docendi, qua apte certoq; de fide, & religione Chriſtiana docere poſſimus. Didacticos enim græce, idem eſt, quod latine, habilis, idoneus, aptus, & appoſitus ad docendum.

Demonſtratiuum genus eſt, quod attribuitur in alicuius certæ perſonæ, aut rei, aut facti laudem, vel vituperationé, cum amplificatione.

Deliberatiuum genus eſt, quod poſitũ in conſultatione, habet in ſe ſuaſionem, & diſſuaſionem.

Omnis igitur erudita Concio, ſiue ad doctrinam fidei, & religionis, ſiue ad formandos mores pertineat, ſiue hiſtorica ſit, ſiue aliquid commendare velit, poteſt cogi in ſuum rhetoricum genus.

Docturus itaq; aliquid exacte, Concionem iuxta Didactici generis præcepta, inſtituet.

Hiſtorice traditurus, aut commendaturus aliquid, aſſequatur genus demonſtratiuum.

Formaturus mores ſuadendo, aut diſ/ſuadendo, locis generis deliberatiui vtatur: quo autem pacto hoc fieri oporteat, oſtẽdemus inferius ſuis locis, cũ de ſacra ipſa Concione, eiusq; partibus, agemus.

Vides autem nos ex Rhetorica, (quoniam ratio concionandi, illius artis quædam vel pars, vel imago eſt) quædam concionum genera mutuatos eſſe. Quare mirari poſſet aliquis, cur non omnia cau/ſarum genera, inde (quod alii quidam fecerunt) ad Concionatores etiam tranſtulerim. Ego vero iudiciale genus præter/miſi, quoniam genere iudiciali vtimur in litibus, & controuerſiis. Et non eſt hu/ius in ſacris concionibus creber vſus. Et ſi commode tamen eo vtimur in concio/nibus de lege, & Euangelio, vbi per legẽ damnamus hominem, Euangelio autem reſtituimus in gratiam. Item in controuerſiis, & diſputationibus, cum hęreticis, de libero arbitrio, de purgatorio, de ſacra/mẽto Euchariſtię, de Anabaptiſmate. &c. Exempla ſunt, vbi Chriſtus contendit cũ

Scribis, & Phariſeis paſſim apud Euan-
geliſtas. Verum in his etiam, commode
videbam cõtentiones concionum, in Di-
dactico genere poſſe complecti, maxime
cum non tam vtatur Concionator locis
dicanicis, ſed magis authoritate ſcriptu-
ræ pugnet, ad quam locos didacticos,
adhiberi (vt infra oſtendemus) oporte-
bit. Et alio quodam modo litigare Con-
cionatorem decet, quam Oratorem in fo-
ro. Hanc habeat curam præcipuam, vt
plane, & præcipue doceat, vt conſciẽtias
diligentiſſime muniat: id non poteſt effi
ci, niſi certiſſimis, & planiſſimis ſcripturę
teſtimoniis, nec valẽt hic coniecturæ, aut
ſtrophę, quæ ſæpe plurimum Oratori in
ciuilibus cauſis proſunt.

Vnde hæc ars potiſſime laudem
conſequatur.

ARtis concionandi maxima laus eſt,
celare artem: ne ficta concio iudice
tur, & comparata, artificii ſignificãdi, in-

geniiq; vēditandi,& memoriæ ostenden dę causa. Et maximam vtiq; laudem con sequetur, si sacra Concio arte confecta, ta lis sit, qualis a Plutarcho describitur: Vi ri (inquit ille) ciuilis eiusmodi debet es se oratio, vt neq; recens, & theatralis, tan quam ostētantis cuiuspiam, & mollibus simul, & floridis verbis veluti innecten tis serta, videri possit, neq; exquisitis cu riose commentis, & duris ambitibus ex amussim, & ad perpendiculū exacte com posita: verum, vt a Musicis probe insti tutis, fides tractātur leniter, atq; placide, non vi, atq; impulsu concutiuntur: sic & in eorum, qui reipublicæ consulunt, ac pręsunt oratione, existere debet nō astus, non caliditas, non proprie laudis arro gantia: quin contra potius oratio ciuilis, plena sit ingenuitatis, præ se ferat verita tem, & simplicitatem, gratificandi, & per suadendi modum metiatur honesto, idq; grauibus aptisq;, & idoneis tum verbis, tum sentētiis efficiat. Admittat historias, fabulas, trāslationes, quibus maxime au

ditores mouentur, modo id apte & mo‑deſte efficiatur. Si talem vero Plutarchus prophanam vult eſſe orationem, quid de Chriſtiana nobis concione dicendum? At temperandus omnino in ea eſt ſermo, vt nihil minus, q̃ arte conſtructus videatur.

De opere, ſeu inſtrumento huius artis.

INſtrumentũ artis concionandi (quod alii opus artis appellant) eſt ipſa ora‑tio, ſeu ſacra Concio, quod ita perſuade‑ri ſolet: Quoniam omnis facultas inſtru mento vtitur ad faciendum quod poteſt, etiam oratoriæ facultatis aliquod erit in ſtrumentum. Hoc autem eſt oratio, cuius ſex ſunt partes, exordium, ſiue procemi‑um, narratio, partitio, ſiue diuiſio, con firmatio, reprehenſio, quæ & confu tatio dicitur, poſtremo perora‑tio. De quibus omnibus ſe‑cundo Tractatu dicemus. Et hæc de ipſa concio‑nandi arte dicta ſufficiant.

instru. 6.

DE CONCIONATORE.

CONCIONATOR, est vir bonus, dicendi peritus, authoritate superioris Ecclesiastico pulpito præfectus.

Tria vtique, hęc complectitur definitio, quę necessario tamen cuilibet Christiano Concionatori, inesse debent. Vir (inquit primo) bonus sit Concionator: quod quidem adeo receptum est, vt & prophano Oratori, ab omnibus, hoc ipsum tribuatur: ita, vt Menandri sit sentẽtia, mores dicẽtis esse, qui persuadeant, non orationem. Sed reuera vtrunque (Plutarchus ait) est, quod rem efficit, hoc est, persuadet, mores nimirum & oratio, quod quidem & ita declarat. Nam sicut nauis (inquit) dirigitur non a gubernatore dumtaxat, sed clauo quoque: & vt eques, qui in girum equum versat, id non facit absque fręno: ita Ciuitas Oratoris quidem vita regitur, & moribus, sed nõ sine oratione, nempe qua veluti aliquo clauo, & fręno vtatur, vt per quam vnam suadeat, affi-

ciat, flectat, ducatque multitudinem. Vnde & merito ipsa instrumentum intelligat. Si principes ergo artis rhetoricę omnes, vtrunque, (morum, scilicet, bonitatem, & dicendi peritiam) in suis requirunt Oratoribus, quid nobis de Christiano nostro Oratore sentiendum, dicendumque?

Authoritate præterea superioris, Concionator, ecclesiastico pulpito debet esse præfectus: quoniam, vt Paulus ait, Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?

Talem tamen superior, huic exercẽdo officio, præponere debet, qui priores duas cõditiones, habeat. Verum nescio qui fiat, vt cum manuum opificium exercere nulli liceat, nisi diu didicerit, ad concionandum admittunt omnes sine delectu. At Paulus præcipit, vt sit Episcopus ad docendum idoneus. Talis autem, is tantum erit, qui sententiam religionis recte tenet, & in vita, doctore Spiritusancto, vim eius expertus est.

Cum igitur sit Cõcionator vir bonus, dicendi peritus, iam vt fieri non potest,

vt

vt citra virtutem, & omnis honesti, iustiq; disciplinam, sit vir bonus: ita quoq; fieri nō potest, vt absq; multarum rerum cognitione, sit dicēdi peritus. Absolutam ergo quandam rerum cognitionem, vt arma ad manum habere, & disciplinarū ferme omnium scientia, succinctus esse, debet, accedente verborum, figurarumq; facili copia, & inuentionis ratione, & disponendi vsu, & memoriæ firmitate, & actionis gratia, atq; decore. Sed plurimū ex his valet animi præstantia, q̄ neq; metus frangat, nec acclamatio terreat, nec audientium authoritas vltra debitam reuerentiam tardet. Nam vt abominanda sunt contraria his vitia, confidentiæ, temeritatis, improbitatis, arrogantiæ: ita citra constantiam, fiduciam, fortitudinē, nihil ars, nihil studium, nihil profectus ipse profuerit, velut si des arma timidis, & imbellibus. Sunt & naturalia (quę tamen cura iuuantur) instrumenta, vox, latus, decor, quæ quidem tantum valent, vt frequenter famam ingenii faciant.

Blandiloqua n. eloquentia solet esse suspecta.

Quæcunq; igitur res inciderit, homi-num ſaluti neceſſaria, quæ ſit dictione ex-plicanda, eam qui prudenter, & compo-ſite, & ornate, & memoriter dicet, cũ qua-dam actionis etiam dignitate, is ſolum-modo Concionatoris nomine dignus, cenſebitur. Et concionator vtique re ipſa erit, ſi iis, & morum probitas, & ſuperio-ris authoritas, acceſſerit.

De officio, fine, & opere Concionatoris.

OFFICIVM præterea Conciona-toris eſt dicere apposite ad perſua-ſionem: finis vero perſuadere dictione.

Inter officium autem, & finem, hoc in-tereſſe, ait Cicero, quod in officio quid fie-ri: in fine, quid officio conueniat, conſi-deratur: vt Medici (inquit) officium eſ-ſe dicimus curare ad ſanandum appoſi-te: finem vero, curatione ſanare. Ita cum Concionatoris quid officium, & quid fi-nem eſſe dicimus, id quod facere debet, officium eſſe intelligimus: illud autem

cuius causa facere debet, finem appellamus.

Animaduertendum sane hic est, quod in definiendo tum officio, tum fine Concionatoris, alterum cum altero commiscetur, atque coniungitur, & recte quidem. Nam, vt officiũ omne ad finem spectat, ita finis contra ad officium refertur. Ergo cum officium definit Cicero, quod est, apposite dicere, protinus subiungit, ad persuasionem: hoc est finem officio anectit. Rursus cum finem definit persuadere, itidem mox addit, dictione, officium, scilicet, cum fine cõmiscens. Nec id quidem abs re. Nam persuadetur multis rebus, vt testibus, pecunia, gratia, dignitate, & affectu etiam ipso, quo vel recordatio meritorum cuiusque, vel facies aliqua miserabilis, vel formæ pulchritudo sentẽtiam dictat sine voce. Quod cum fit, non magis Oratoris est, quàm alterius cuiuspiam. Solius autem Oratoris est, persuadere dictione. Sicuti Medici officiũ est, sanare, non quomodolibet, puta aut incantatione, aut li-

gaturis, sed curatione, hoc est, arte me-
dendi.

Cum suo igit Concionator probe fun
ctus officio fuerit, nempe vt apposite di-
xerit ad persuasioné: tria eius inde ope-
ra sequentur, docere, scilicet, delectare, &
mouere. De qbus Augustinus libro quar-
to de doctrina Christiana, elegantissime
in hunc modum dicit. Dixit quidam vir
eloquens, & verum dixit, ita dicere de-
bere eloquentem, vt doceat, vt delectet,
vt flectat. Quorum trium docere (inquit)
est necessitatis: delectare suauitatis: fle-
ctere victoriæ. Horum item illud, quod
primo loco positũ est, in rebus ipsis con
stitutum est. quas dicimus: reliqua duo
in modo docendi ea quæ dicimus. Vn-
de si quis etiam delectare vult eũ cui di-
cit, aut flectere, non id quocunq; modo
dixerit, faciet: sed interest quomodo di-
cat, vt faciat. Sicut est autem, vt teneatur
ad audiendum, delectandus auditor: ita
flectendus, vt moueatur ad agendum. Et
sicut delectatur, si suauiter loquaris: ita

flectitur, si amet, quod polliceris, timeat, quod minaris, oderit quod arguis, quod commendas, amplectatur: quod dolendum exaggeras, doleat: cum quid lętandum prædicas, gaudeat: misereatur eorum, quos miserandos ob oculos dicendo constituis: fugiat eos, quos cauendos terrendo proponis: & quicquid aliud grandi eloquẽtia fieri potest ad commouendos animos auditorum, non quid agendum sit, vt sciant: sed vt agant, quod agendum esse iam sciunt. Docere ergo (inquit) est necessitatis, delectare suauitatis, flectere victorię. Ideo autem victorię, qa fieri potest, vt doceat auditor, & delectet, & tamẽ non assentiat. Oportet igitur eloquẽtem non solum docere, vt instruat: & delectare, vt teneat: verum etiam flectere, hoc est mouere, vt vincat, id est, psuadeat: Hęc ita ex Augustino ad verbum, præter pauca admodũ, quibus nostrum primum terminamus tractatũ, vt ad secundũ (vbi maior est difficultas) perueniamus, transeamusq;.

Finis Tractatus Primi.

De sacris concionibus

TRACTATVS SECVNDVS de sacra Concione.

CVM priori iam tractatu, de Concionandi arte, deque eius artifice Concionatore, egerimus: vt de sacra Concione hoc secũdo dicamus, promissus ordo nos admonet. De qua illud primo se offert dicendum quid sit.

difi. Sacra Concio est, excogitata, & apposita cum amplificatione, ad docendum, & persuadendũ de religione, dictio quædam, seu oratio.

.6. Sacre Concionis partes sunt sex, exordium, narratio, diuisio, siue partitio, confirmatio, confutatio, & peroratio, vt ex quibus sacra ipsa Concio integratur, & constituitur, de quibus omnibus per ordinem dicemus.

Prius tamẽ q̃ de iis singulis dicamus, illud monendum, quod principium, seu exordium conciliat auditores, conclusio mouet, cæteræ partes docent, vniuersæ delectant.

delectadũ quod si dulce juuat quid delectilogo dulcius vt ligdo est videre in dauid canente et sapienter dicente [illegible]

Illud deinde non prætereundum, sed prudenter considerãdum, quod facturus Concionem, præmeditari debet coram quibus, quid, qualiter, qua audientium opinione, quo loco, quo tẽpore concionandum sit, vt secundũ horum rationes, temperanda sit Concio. Si mores eorum coram quibus concionandum est cognoueris facile tibi sumere poteris principiũ seu exordium dicendi: si scias quid dicendum sit, iam ipsa tibi sacræ scripturæ lectio, hoc est, narratio nota erit: si qualiter, vtiq; rectius diuides, & sic de cæteris cætera.

De exordio.

Exordium est principium Concionis, per quod animus auditoris constituitur, vel apparatur ad audiendum.

Illud etenim vnde Cõcionẽ incipimus, si aptum, & appositũ sit principium, nobis statim animum auditoris idoneum reddit ad audiendum. Id sumitur, vt attentos, vt dociles, vt beneuolos, & vt de

uotos auditores habere poſſimus, quam uis ad illud ipſum in tota etiam Concio ne debeamus conari.

De partibus exordii.

EXordii, ſeu principii ſacræ Concionis, tres ſunt partes. Prima, quæ ſummam cauſæ, ſeu totius Concionis complectit, & Græco nomine cõſueuit theſis, ſeu thema vocari, quod Latini poſitum, vel propoſitum nominant: Officium huius partis eſt, auditores facere dociles, quoniã eos docet de qua re dicendum ſit.

Secũda pars eſt, inuocatio Spirituſſancti, ſeu ſupplicatio, qua diuinum imploramus auxilium, quæ vulgari, & vſitato nomine, conſueuit appellari ſalutatio, quoniam ſalutatione Angelica præuia, per Dei genitricis interceſſionem, diuinũ impetramus fauorem. Officiũ huius partis eſt, auditores facere deuotos, & diuinorum munerum capaces.

Tertia pars eſt, quæ Procœmion Græ-

ce appellatur, id est, præludium, a Musicorum consuetudine tractum, qui ante cantilenam inchoandam, solent artificiosum apparatū ostēdere. Nam pro, idē est, quod præ, & œme, cantilena, id quod nos præfationem dicere possumus. Officium huius partis est, attentione, & beneuolentia nobis animos auditorum conciliare.

Attentos habebimus, si pollicebimur nos de rebus magnis, nouis, inusitatis, verba facturos, aut de iis rebus, quæ ad res christianas, ad saluté animæ, ad auersionem diuinæ iræ, ac Dei omnipotentis placationem, & votorum nostrorum expletionem pertineāt, & si verbis excitantibus hortabimur, vt attente audiant.

Beneuolentia captatur a nostra, ab auditorum, ab aduersariorum persona, & re ipsa, cum nostra sine arrogantia, cætera vero citra adulationem sapienter laudamus: cum inimicorum odium, inuidiam, contentionem mouebimus (inimici sunt, propria caro, mundus, dæmon, &

mali homines) Et cum rem ita proponi mus, vt ab eo quod odit, ad id quod di/ ligit, auditoris animus traducatur. Hæc omnia insinuatio per dissimulationé oc/ culte agit, interiectione verborum ad mo uendam beneuolentiam aptorum.

Prooemium, seu præfatio, id est, exor/ dii vltima pars, ex corde materiæ sumen da est, vt proprie cohæreat cum lectione euangelica, & ex ipsa causa natum videa tur, non vulgare, non commune, non ni/ mium apparatis verbis compositum, nō nimis longum. Vt autem hæc omnia pos sint ad vnguem caueri, tutius erit compo sitionem prooemii (id est huius vltimæ exordii partis) vsq; ad vltimū reseruari. Pro formatione tamé huiusmodi pro/ oemii, nulla certa lex, seu regula dari po/ test. Et ideo committo cuiusq; industriæ prooemia, maxime omnium petenda ab obseruatis circunstantiis, a temporis, a lo ci oportunitate, a moribus auditorum, ab affectu incidentium causarum. Quisq; hic intédat proprias ingenii vires. Proo

mia namq; certis regulis prȩscribi neque unt. Prima in proœmiis esse debet cura Concionatori, vt doctrinæ suæ fidem faciat. Id commode fiet, si pie, si pro gloria Dei, & omnium salute, nullo carnali affectu, vel quorundam odii, vel amoris, se loqui testetur in conspectu Dei.

Proœmio adnectet insinuationé, qua, si quid acerbius, aut lenius dicendum foret, excuset. Et hoc miris modis cōfert ad faciendam doctrinæ fidem.

Insinuatio vero est oratio, quæ per dissimulationem, & veluti per circuitioné, hoc est, per ambages quasdam auditoris animum subiens, ipsum ad audiendum parat.

Iam ad primam exordii partem (quā thema appellauimus) redeūdo, animaduertendum, partem illam thema scilicet, idem esse, quod Oratores propositioné appellare consueuere. Propositionem autem Oratores dixerunt, eam sententiam, quæ potissimum tractatur, & ad quā confirmandam adhibentur rationes.

honesta protestatio in poemiis servanda. o ... reddita & custionis causa: que vel protempore exi... ...ram visitatione vel blanda ...ratione. A posat thema pā breue in uenies apud sanctū vicentiū nostrū in sermonibꝰ.

Et ita Cócionatores, qui ante hoc tempus docuerunt, hac fere sunt vsi ratione: priusq̃ Euágelium recitarent, generalem aliquam sententiam proposuerũt, quam bono nomine thema appellabant. Eam sententiam deinde per totum sermonem tractabant, quę proprie propositio est. Et vix commodius vertas Græcum nomen thema, quam propositionem.

Illud igitur idem quod Concionatores hactenus, in electione thematis, seu propositionis, obseruare consueuerũt, & post hac seruandum omnino censeo, vt scilicet ex Euãgelio, aut Epistola, aut prophetia, quam postea recitare, & narrare Concionator debet, vel aliunde (dummodo ex sacris literis) assummat, & deligat sibi propositionem aliquã, quę summam causæ, seu materiæ totius Concionis, complectatur. Et talem in principio Concionis cum a legatione proponat, & lingua vulgari, seu materna, quam simplicissime exponat: ad quam tractandã, ilico Spiritussancti inuocationem faciat,

(quæ ſecunda pars exordii eſt, vt diximus) quam mox procemium (de quo ſatis iam) ſequat, quod narrationi (ſi ſit) & toti Concioni principium dabit.

Propoſitio vero illa, ſeu thema omne, diuiditur, in ſimplex & compoſitum: ita vt omnes Conciones diſtinguere libeat, quod aut ſimplex nomen aliquod explicent, vt ſi de iuſtitia, de religione, de fide, de operibus charitatis, doceas: aut integram aliquam orationem, quam Dialectici compoſitam quæſtionem appellant. Vt ſi doceas, fornicatores regnum Dei non poſſidebunt, Religio eſt donum Dei ſummum, non paratur noſtris viribus. Opera charitatis ſunt meritoria vitæ æternæ, & ſimilia.

Sunt autem compoſita themata duplicia, quædam enim ſimpliciter docēt, qualia illa ſunt, quæ ſupra poſui. Quædam vel adhortantur, vel dehortātur, vt ſi dicas literas eſſe diſcendas, eſſe amplectendum cælibatum, non eſſe contemnendū matrimonium, Charitatis opera non eſſe

sed iniquae affectator tyrannidis

se intermittẽda, &c. Tractantur autem huiusmodi Conciones longe aliá ratione, q̃ illæ quæ docent tantum, sicut inferius patebit, cum de vsu partium sacræ Concionis, docebimus.

Concionatorum tamen vnusquisque principio diligenter aduertat, & intelligat, (vt supra de inuétione monuimus) ad quod genus causæ, assumptum abs se thema, expectet: quoniam ex hac cognitione tota thematis tractatio pendet, vt de vsu Concionis partium ostendemus. Verum in præsentia illud hic dicendũ, & monendum occurrit, generis Didactici, & demonstratiui, duplicia esse themata, simplicia, scilicet, & composita: generis vero deliberatiui, vnicum tantum, videlicet, compositum. Quo autem pacto cognosci possit, ad quod causæ genus, propositum thema (seu simplex, seu compositum) expectet, non est difficile, ex his quæ supra de generibus causarum diximus, iudicare.

Si enim docẽdum, ad genus Didacti

cum, si laudandum, aut vituperandum, ad genus demõstratiuum, si vero suadendum, vel dissuadendum sit thema, ad genus deliberatiuum, expectabit.

De narratione.

NArratio est rerum gestarum, aut perinde, ac gestarũ, expositio. Vt si narres Euangelium simpliciter, sicut ab Euãgelista descriptum est.

Id enim quod in sacra Concione narrandum venit, est lectio scripturæ canonicæ, quæ populo recitari debet, quæ non aliunde, q̃ de vetere, aut nouo testamento promenda est, iuxta pręceptum Christi, qui tãquam bonus paterfamilias, de thesauro suo protulit noua, & vetera. Quod dico (inquit) vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta. Quid autem hoc sit, exponit, cum dicit: Ite prædicate Euangelium omni creaturæ. Prophana enim, vt Paulus ait, & vana eloquia, & stultæ sine

disciplina quæstiones,& genealogiæ, & contentiones,& pugnæ legis,& Iudaicæ fabulę,& mandata hominum auersantium a veritate,deuitanda sunt,ne secundũ Hieronymum Sacerdotes Dei, omissis Euangeliis,& Prophetis,videantur Comœdias legere, amatoria bucolicorum versuum verba cantare, tenere Virgiliũ, & eius generis cætera: qualia ego in Cócionibus vidi,vt pro Christi Euangelio, astiludium,& torneamenta, & id genus alia, representarentur.

Lectio Euangelii aut epistolæ canonicæ,siue alia quælibet in ecclesia, & breuiter & clare & verisimiliter recitanda & exponenda est.

Breuis erit,si ex nullo cursu,nullis ambagibus,sed verbis ad rem ipsam tantum necessariis vtentes, ita euangelium epistolam,vel prophetiam enarrabimus vt eius facile meminerit auditor. In quo cauendum est,nebis idem, aut id quod supra diximus,iterum dicamus.

Clara erit,si rei qualitates, verbis il-

las

las proprie explicantibus significentur, debita pronũciatione ad hoc accommodata, vt auditor facillime accipiat, atq; intelligat.

Verisimilis & credibilis erit, si eius circunstantiæ, sicut negocii natura, & audientium conditio postulat, obseruẽtur, quantumuis de necessitate salutis sit sacræ scripturæ credendum.

De diuisione.

Diuisio est, rerum de quibus dicturi sumus, breuis enumeratio, vt certas res animo teneat auditor, quibus dictis, intelligat concionem esse perfectam & finitam.

Diuisio debet esse absoluta, pauca, sub distribuenda, ordinata.

Absoluta, vt nihil in ea desit, aut superfit, nullum nisi necessarium assumendo verbum.

Pauca, vt sola sine speciebus genera ita proponat, vt nec species tanquam dissimiles generi permisceat, nec super-

uacua assumens, aut in minutissima diui∫dens, plura quàm satis est membra faci∫ens, in eandem incidat obscuritatem, cõtra quam diuisio inuenta est.

Subdistribuenda est a generibus sim∫pliciter expositis ad species, cum id cau∫sa postulat, singulariter & cõmodissime exequendas.

Ordinata fit, vt ita quæq; res dicendo transfigatur, vti per diuisionem fuerit ex∫posita, vel vltimo distribuantur, quæ au ditor maxime optare videtur.

Diuisio quamuis numero velut lége non sit alliganda, tamen decet eam plus q̃ trium partium numero contineri non oportere. Nam & periculosum est, inquit Cicero, nequando plus, minusue dica∫mus. Et suspitionẽ affert auditoribus me∫ditationis, & artificii, quę res fidem abro gat Concionatori.

De confirmatione.

Confirmatio est, per quam argumen∫tando nostræ causæ fidem, autorita∫

tem, & firmamentum adiungit oratio.

In hoc quod, argumentando, dicit, se parat cófirmationem a narratione. Nam & ipsa narratio facit fidem, sed non argumentando. Itaq; proprium confirmationis est, argumentando facere fidem.

Aduertendum tamen, ꝙ eadem sunt, quibus causam nostram confirmamus, & confutamus: quia contrariorũ est eadem disciplina. Nam in confirmando, nostra probare volumus, in confutãdo, redarguere contraria.

Si nostra probari, q̃ quæ sunt aduersariorum redargui, facilius possunt, a confirmatione incipiamus. Sin aliena melius, faciliusq; refelli, a refutatione, omnia illi conferentes initium faciamus.

Aduersarii sunt, dæmones, vitia, homines peruersi, & quicquid non est amicum Deo, testante Christo, qui ait. Qui non est mecum contra me est.

Cæterum cũ confirmatio, sicut & confutatio non peragatur, nisi argumentatione, & in his duabus, confirmatione (in

quam) & confutatione, Cicero ad Herẽnium dicat, totam spem vincendi, & rationem persuadendi pŏsitam esse, vt de argumentatione simul, & arguměntis hic dicamus oportet. Et primo de argumentis tractandum, quoniam nisi argumenta prius inueniantur, argumětatio formari non potest.

Argumentum vero est ratio, rei dubię faciens fidem. Hanc tamen fidem argumentum facere non potest, nisi ipsum in argumentatione sumptum fuerit: quippe quæ sit argumenti per orationem explicatio.

Ostendamus igitur oportet, quo pacto ipsa argumenta a concionatore inueniantur, vt quibus ipse cõmode opportuneq; vtatur in vnoquoq; genere causæ, præsertim quoties quod ad dicendum propositum fuerit, probatione aliqua indigere videbitur.

Inueniuntur autem haud difficile argumenta, si quibus ex locis (vt in quibus veluti latent) ducantur eruanturq;

compertum fuerit, locus enim sedes est argumenti.

Cæterum loci huiusmodi duplices sunt. Quidam enim ex his dialectici appellantur, vt qui a dialecticis cumprimis traduntur: quidam vero rhetorici, vt quorum vsus etiam num frequentior sit apud Oratores. Contra tamen Christiano accidit Concionatori, quoniam dialecticis locis omnibus vtitur quam frequentissime, rhetoricis vero, perquam paucis, & si illis tamen frequenter. Dialecticos ergo omnes, & rhetoricos eos quorum in concionibus est vsus, per ordinem tractabimus explicabimusque.

Locorum igitur dialecticorum, quidam ducunt ex his quæ inhærent in ipsa re de qua agitur: alii extrinsecus assumuntur, ab iis quæ remota vocant: alii vero medii sunt.

Locorum qui ducuntur ex his quę inhærent in ipsa re, alii a substantia, alii consequentes substantiam, dicuntur.

A substantia sunt octo, scilicet, a defi-

nitione,a definito,a deſcriptione, a de-
ſcripto,a nominis interpretatione,ab in-
terpretato, a proprio, & ab eo cuius eſt
proprium.

Loci qui conſequuntur ſubſtantiam,
itidem,ſunt octo,videlicet,a toto, a par
tibus,a cauſis, ab effectibus ſiue ab effe-
ctis,a generatione,a corruptione, ab vſi
bus,a communiter accidentibus.

Loci qui extrinſecus ſiue a remotis aſ
ſumuntur,ſunt decem,hoc eſt,ab autori-
tate,a ſimilibus,a paribus, a proportio-
ne,a maiore, a minore, ab oppoſitis, a
repugnantibus, a tranſumptione, & a
tranſmutata proportione.

Loci tandem medii ſunt duo, a con-
iugatis,& a diuiſione. Sed ex his omni-
bus primus exponendus venit,qui a de-
finitione dictus eſt.

De locis qui a ſubſtantia dicũtur.

A Definitione ducitur argumentum,
vt ſi quæratur an qui vtitur rebus

ecclesiæ vel monasterii sine consensu prę lati, faciat furtum? Fiatque huiusmodi argumentatio, Furtum est contrectatio rei alienæ inuito domino, sed qui vtitur rebus ecclesiæ sine consensu prælati, contrectat rem alienam inuito domino, quisquis ergo vtitur, rebus ecclesię vel monasterii sine consensu pręlati, facit furtū.

Item si quæratur, an arbor sit animal? Et in hūc modum argumentationem formes, animal est substantia animata sensibilis, arbor autem substantia animata sensibilis non est, non est igit̃ arbor animal. Locus vtrobique est, a definitione. Maxima, prioris affirmatiuę argumentationis est, Cui cōuenit definitio, ei & definitum. Secundæ vero negatiuæ argumentationis. Maxima est, Cuicunque definitio non conuenit, nec definitum.

A descriptione, argumentum ducitur, vt si dubium sit, an albedo sit substantia? itaque argumentatio formetur. Substantia est, quæ omnibus subiacet accidentibus, albedo nullis subiacet accidētibus, ergo

albedo substantia non est. Locus, a descri ptione. Maxima, cuicunque non conuenit descriptio, nec descriptum.

A nominis interpretatione, ducitur argumentum, vt si vertatur in dubium, vtrum philosophię sit studendum? Ad quod probandum talis instruitur argumentatio, Philosophia amor sapientiæ est, atqui sapientiæ esse studendum nemo dubitat, Philosophiæ igitur studendum est. Locus, ab interpretatione nominis. Maxima, Cui nominis interpretatio cõuenit, & ipsum nomen cuius interpretatio facta est.

A proprio deinde ducitur argumentum, vt si quęratur an equus possit mansuefieri? Et sic fiat argumentatio, Omne animal disciplinę capax, mansuefieri potest, equus autem est animal disciplinę capax, ergo equus mansuefieri potest. Locus, a proprio. Maxima, Si cui propriũ alicuius rei conuenit, & id cuius est proprium.

At nunc illud scire debemus, quod per

per dictos locos varie argumentari pos/ sumus, nunc subiiciendo, nunc prædican do eundem terminum, atque ipsum etiam, de aliquo nunc construendo, nūc destru endo. Tum & conuerso ordine, totidem modis, verbi gratia, a definito, a descri/ pto, ab interpretato nomine, & ab eo cu/ ius est propriū, simul & maximas ipsas toties variare: id quod studiosus huius artis facile ex seipso intelliget, alioqui in/ utilis prorsus, qui huic studio addicat.

De locis qui substantiam consequuntur.

EX locis qui substantiam consequunt primus a toto dictus est. Totum vero multis dicitur modis, namque & totum di citur vniuersale, quod & genus est, & to/ tum quod ex partibus integratur, quod & integrale dicitur, & totum in quantita te, & totum in modo, & totum in tempo re, & totum in loco: atque ab omnibus his argumenta ducuntur. Omnes tamen il modi totius, Concionatori noti esse ex

Dialectica debent, & ideo in horum in-
terpretatione, hic nequaq̃ morandum.

A toto igit̃ vniuersale, quod & genus
est, argumentum ducitur, vt si quæratur,
an iustitia sit bona? fiatque argumentatio
hoc modo, Omnis virtus est bona, iusti
tia autem virtus est, iustitia igit̃ bona est.
Locus, a toto, hoc est, a genere. Maxima,
Quæ generi adsunt, & speciei.

A toto integrali, ducitur argumẽtum,
vt si quæstio sit, An humanæ res proui-
dentia regantur? Et talis formetur argu-
mentatio, Mundus prouidentia regitur,
humanæ autem res mundi partes sunt,
humanæ igitur res prouidentia regunt̃.
Locus, a toto, id est, ab integro, quod par
tibus constat. Maxima, Quod toti conue
nit, & partibus.

A toto in quantitate, ducitur argumen
tum, vt si ita formetur argumentatio, Si
in omnibus est verus vates Apollo, & in
hoc verus esse perhibetur, quod dixit:
Aio te Aeacida Romanos vincere posse.
Locus, a toto in quantitate. Maxima, cui-

cunque totum in quantitate conuenit, & pars.

A toto in tempore, ducitur argumentum, vt si dicamus, Si Deus semper est, & nūc est. Locus a toto in tempore. Maxima, Cuicunque conuenit totum in tempore, & pars.

A toto secundum locum, sic argumentum ducitur, Si vbique Deus est, & hic est. Locus, a toto secundū locum. Maxima, Cui conuenit totum secundum locum, & pars.

A toto in modo, ad suam partē vtique argumentatio non recte procedit, licet contra sic, a parte, scilicet, ad totum, vt, Si quoquo modo mouetur Deus, & simpliciter mouetur: irascitur autem Deus, ergo mouetur: Et si quis pedetentim ambulat, & simpliciter ambulat. In totis vero in quantitate, in tempore, & secūdum locum, contra accidit, Nam in nullo illorum, a partibus ad totum, argumentatio valet, Secus est in duobus prioribus modis totius; nam in illis a partibus ad to-

tum recta est argumentatio.

A toto argumentat Paulus.I.Corint.6.sic,An nescitis, quia iniqui regnū Dei non possidebunt? Nolite errare: neq; fornicarii,neq; idolis seruientes,neq; adulteri,neq; molles, neq; masculorum concubitores,neq; fures, neq; auari, neq; ebriosi,neq; maledici,neque rapaces,regnum Dei possidebunt.

A partibus quidē totius, quod genus est,argumentum ducitur, vt si quæratur, An virtus sit mentis bene compositæ habitus? Et fiat argumentatio hoc pacto,iustitia,fortitudo,temperantia,atq; prudentia,habitus sunt mentis bene compositę, & hæc quatuor vni virtuti veluti generi subiiciuntur, Virtus igitur mentis bene compositæ habitus est.Locus,a partibus totius siue generis.Maxima,Quod singulis inest partibus,id toti inesse necesse est.

A partibus autem, quæ integri partes esse dicuntur,argumentum ducitur, vt si sit hæc quæstio, est ne Rhetorica vtilis? Et formetur argumentatio hæc,Inuentio

vtilis est,& dispositio,& elocutio,& memoria,item & pronunciatio,& hæc quinque Rhetoricæ partes sunt,vt ex quibus integratur,Rhetorica igitur vtilis est.

Tum vero & per destructionem argumentatio procedit, vt si querat quispiam,num hic,quem seruum esse constiterit,liber sit? Hunc si quis non esse liberum monstrare velit, hic dicet, Si neq; censu,neq; vindicta,neq; testamento, liber factus est,liber non est. At nulla earũ parte liber factus est,non est igitur liber. Locus,a partibus,siue a partium enumeratione. Maxima, Si omnes partes a re qualibet abiunctæ fuerint, & totum necessario abiungetur.

A parte ad totum argumentatur Paulus ad Galatas.5. hoc modo, Testificor autem rursus omni homini circuncidenti se,quoniam debitor ęst vniuersę legis.

A causis præterea argumenta ducunt, vel ab efficiente,vel a materiali,vel a formali,vel finali.

Ab efficiente igitur causa argumentum

ducitur, vt si quis iustitiam naturalem es se ostẽdere voluerit, & dicat hoc modo, Congregatio hominum naturalis est: homo quippe naturaliter ciuile animal est. Iustitiam vero hominum fecit congregatio: Iustitia igitur naturalis est. Locus, a causa efficiente. Maxima, Quorum efficiens causa naturalis est, ipsa quoq; naturalia sunt.

A materiali causa ducitur argumentũ, vt si quis Mauros non habere arma contendat, idcirco, ꝙ ferrum eis desit. Vel hoc modo, Ferrum non est, igitur gladius non est. Locus, a causa materiali. Maxima, Si non est causa materialis, neque ipsa quæ ex ea conficiuntur, esse possunt.

A formali causa ducit argumentum, vt si quis probet Dædalum non potuisse volarę, quoniam nullas naturali forma pennas habuisset. Locus, a causa formali. Maxima, Tantum vnumquodq; potest, quantum forma eius naturalis ꝑmittit.

A fine, siue á causa finali, argumentum ducitur, vt si sit propositũ, An iustitia bo-

na sit, fiatq; hoc modo argumentatio, Si beatum esse bonū est, & iustitia bona est. Hic est enim iustitię finis, vt si quis secundum iustitiam viuat, ad beatitudinē perducatur. Locus, a fine, siue a causa finali. Maxima, Cuius finis bonus est, ipsum quoq; bonum est.

Scire ꝑterea debemus, quod ex ipsis causis latior patet argumētandi cāpus.

Ab efficiente quidem causa arguere possumus statuam cōmendabilem esse, quia Praxiteles eam fecerit, aut Phidias, aut Polycletus. Sic cōmendabiles sunt leges, naturalis, scripta, & euangelica, quod Deus eas fecerit, ciuiles seu politicæ, quod homines sapientissimi & prudentissimi, & a Deo illuminati & adiuti, eas sanciuerunt & ordinauerunt: Canonicæ, quoniam sanctissimi patres, & magno cum consilio, simul & spiritusancto illustrati, eas condidere.

A materia vero res preciosas aut vtiles esse, quippe quod tela serica preciosior sit lanea, & lanea item linea. Hinc sci

entia de anima honorabilior ab Ariſtote le dicta eſt cętera quauis de natura parte.

A forma autem res item, & dignas & minus dignas eſſe, vt hominem, quod rationale animal ſit, digniorem quolibet animali.

A fine, res bonas ſiue vtiles eſſe, vt exempli cauſa, liberales artes, quod bonos & vtiles habeant fines.

Ab effectibus quoq; argumẽta ducuntur. Verum ad hoc ipſum ſcire oportet, duplicem eſſe cuiuſlibet effectus cauſam: neceſſariam: vt ſine qua effectus eſſe non poteſt: & ſufficientem, quæ certe huiuſmodi eſt, vt ſi adſit, impoſſibile ſit effectum non eſſe.

Ab effectu itaq;, ad cauſam neceſſariã ita argumẽtari poſſumus per conſtructionem, Gladius eſt, ergo ferrum eſt: & domus eſt, ergo intritum eſt, & lapides & ligna. Locus, ab effectu ad cauſam neceſſariam. Maxima, Poſito effectu, ponitur & eius neceſſaria cauſa.

Ab effectu vero ad cauſam ſufficiẽtem

per

per destructionem potius, q̃ per constru/ctionem formanda argumentatio, quan/do construendo argumentationem, non semper euenit, quod inferre volumus. Vnde nō recte sequitur, Hic interiit, ergo iugulatus est. Siquidem id euenire posset alio quouis casu, aut letali morbo corre/pto alicui. Destruendo tamen ratum est, quod infertur, vt non interiit, ergo iugu/latus non est. Item, Lumen Solis non est, ergo eius lux non est. Locus, ab effectu ad causam sufficientem. Maxima, Remoto effectu causæ sufficientis, remouetur & ipsa causa.

Ab effectibus argumentatur Christus Matthæi. 7. cum ait. A fructibus eorum cognoscetis eos. Nunquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? Item, Nō potest arbor mala bonos fructus face re, neq; arbor bona malos fructus facere.

A generatione, argumentum ducitur hoc modo, Assuefatio ad virtutem bona est, igitur virtus bona est. Locus, a gene/ratione. Maxima, Cuius generatio bona

est, ipsum quoque bonum est.

A corruptione vero ducitur argumentum, vt dessuefatio a vitio bona est, igitur vitium malum est. Locus, a corruptione. Maxima, Cuius corruptio bona est, ipsum quod corrumpitur, siue quod corruptum est, malum est.

Sane sciẽdum, quod quoties a corruptione argumentamur, prædicatum consequentis contrarium, seu oppositum esse debet prædicato antecedentis. Quod tamen nõ ita euenit in loco a generatione.

Ab vsibus, siue ab vsu, argumentũ ducitur, si ita argumentatur quispiam, Equitare bonum est, igitur equus bonus est. Locus, ab vsibus, siue ab vsu. Maxima, Cuius vsus bonus est, ipsum quoque bonum est.

Ab vsibus argumentatur Paulus ad Roma. I. cum ait, Immutauerunt naturalem vsum in eum vsum, qui est contra naturam.

A communiter accidentibus argumenta ducuntur, quoties ea sumuntur acci-

dentia, quæ relinquere subiectũ, vel non possunt, vel non solent: Vt si quis hoc modo dicat, Sapiẽtem non pœnitet, pœnitentia enim malum factum sequitur. Quod quia in sapientem non cadit, ne pœnitentia quidem. Locus, a communiter accidentibus. Maxima, Cui non inest aliquid, ei nec illud, quod illius est consequens, inesse potest. Rursus construendo, vt, Pluit, ergo vapores in sublime leuati sunt. Locus, a communiter accidentibus. Maxima, Cui inest aliquid, ei & illud quod illius est consequens, inesse debet.

A communiter accidentibus argumentatur Christus Matth. 16. hoc pacto, Facto vespere, dicitis serenum erit, rubicundum est enim cœlum: & mane, Hodie tempestas, rutilat enim triste cœlum.

De locis qui extrinsecus sumuntur.

EXpositis locis intrinsecis, restant dehinc exponendi, qui licet extrinsecus

sumpti, argumenta tamen suppeditant: quorum primus est a rei iudicio, siue ab authoritate.

A rei iudicio, siue ab authoritate, argumentum ducitur, vt si dicamus, Præter firmamentum esse planetarum orbes septem: quoniam id ita Astrologi doctissimi, & in Astrologia sapientes, penitusq; eruditi iudicarint. Vel si dicamus, per internam animi concupiscentiam vxoris alienæ, adulterii peccatum committi: quoniam Christus hoc ipsum dicit. Locus, ab authoritate, siue a rei iudicio. Maxima, Quod omnibus, vel pluribus, vel sapientibus hominibus videtur, ei contradicere non oportet.

Sane hic locus etsi per alias quoque complures disciplinas vsum suum præstat, in Theologia tamen is præcipue spectatur, obseruaturq;. Et ideo nullus tam vsui debet esse Concionatori locus, nec frequentior, q̃ hic. Ab isto enim solo firmissima, & fidelissima, hoc est, quæ negari non possunt, (in Concionibus) ducun-

tur argumenta.

Ab autoritate argumentatur Paulus ad Titum.I.in hunc modum, Dixit quidam ex illis proprius ipsorum propheta: Cretenses semper mendaces, male bestiæ, ventres pigri. Testimonium hoc verum est. Quam ob causam increpa illos duriter, vt sani sint in fide &c.

A similibus deinde, siue a simili argumentum ducitur, vt si dubitet. An homini proprium sit bipedem esse, & talis argumentatio formetur, Similiter inest equo quadrupedem esse, vt homini bipedem, at non est equo quadrupedem esse propriũ, igitur nec homini esse bipedẽ. Locus, a similibus, Maxima, De similibus idem est iudicium. Sane hoc loco vsus est diuus Paulus, cum in hunc argumentatur modum, Si Christus mortuus resurrexit, & nos mortui resurgemus. Vnde errare conuincuntur, qui hunc locum vno pede claudicare dicunt, quod (vt aiunt) fallat plerunq; adducta similitudo. Verum id quoties accidit, non iam

similitudine, sed potius a dissimilitudi-ne erroris sui causam habet. Quapro-pter Quintilianus huic precipue loco iu-dicium adhibendum monet, Solent e-nim (inquit) nos fallere plerunque simi-litudinum species, ideoque adhibendum est his iudicium.

A similibus argumentatur Iacobus e-pistola sua canonica cap. 5. hoc pacto, Ecce agricola expectat preciosum fru-ctum terræ, patienter ferens donec acci-piat temporaneum, & serotinum: patien-tes igitur estote & vos, & confirmate cor-da vestra, quoniam aduentus domini appropinquabit.

A paribus argumentum fit, si ita pro-ponatur, Si cui in animo est Demosthe-nem laudare, cur & non Tullium lauda-bit, cùm alter alteri par sit? Nempe quan-tus in eadem persuadendi arte vnus, tan-tus & alter. Locus, a paribus. Maxima, Parium idem est iudicium.

A paribus argumentatur Paulus I. Corinth. 9. cum ait, Nunquid non habe

mus potestatem, mulierem sororem cir/cunducendi, sicut & cæteri apostoli & fratres domini, & Cephas? Aut ego solus & Barnabas, non habemus potestatem hoc operandi?

A proportione argumentum ducitur, vt si quęratur, An sorte eligendi sint in ciuitatibus magistratus? dicimus, minime, quia nec regendis nauibus sorte præficitur gubernator. Locus, a proportione. Maxima, Quod in vnaquaque re euenit, id in eius proportionali euenire probabile est.

A maiore argumentum ducitur, si ita dicas: Non potest Rex arcē, aut vrbem expugnare, ergo nec miles. Item, si non licuit Herodi habere vxorem viri alieni, igitur neque fratris. Locus, a maiore. Maxima, Si id quod magis videtur inesse, non inest, nec id quod minus videbitur inesse, inerit.

A maiore argumentatur Christus Ioan. 15. quando inquit, Non est seruus maior domino suo: si me persecuti sunt, &

vos persequentur: si sermonem meũ ser-uauerunt,& vestrum seruabunt. Item Ioan.13. Si ergo ego laui pedes vestros, dominus & magister: & vos debetis alter alterius lauare pedes.

A minore vero conuerso modo argumentum ducitur, vt, Si quilibet vel gregarius miles potest expugnare, aut arcẽ, aut vrbem,& Imperator. Item, si Scipioni priuato licuit Caium Gracchum, mediocriter Reipublicæ statum labefactantem, interficere, quanto magis Consulibus licuit persequi, ac demum vltimo afficere supplicio Catilinam, terras cæde, atq; incendio vastantem? Item, Si feræ diligũt partus suos, quanam in liberos nostros vti diligentia debemus? Locus, a minore. Maxima, Si id quod minus videt inesse, inest, & id quod magis videbitur inesse, inerit.

A minore argumẽtatur Paulus ad Hebræos.9. cum ait, Si enim sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emũdatio-

nem

nem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundauit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad seruiendum Deo viuenti?

Hos locos a maiore, scilicet, & minore, Cicero, & Quintilianus vocant a comparatione maiorum, & minorum.

A comparatione quidem maiorum: vt, Si quis sacrilegium, aut peculatum committit, & furtum committet.

A comparatione vero minorum, vt, qui facile, ac palam mentitur, idem & peierabit.

A transumptione ducitur argumentũ, vt si dicamus, Dialectica vtilis est ad omnem methodum, igitur ad omnem scientiam vtilis est. Locus, a nominis transumptione. Maxima, Quicquid alicui cõuenit sub nomine metaphoricos sumpto, eidem conueniet & sub nomine proprie sumpto.

Sane hoc loco Philosophi nõ modo vtuntur interdum, ceteriq; scriptores, sed

& sacræ literæ eo plenæ sunt, ac scatent propemodum: vt, si Leo rugiens fugiendus est, & diabolus fugiendus est. Item, si Christus Leo est, & Rex est. &c.

Ab oppositis vero toties argumenta ducuntur, quoties inter se aliqua opponi dicuntur. Opponunt autem modis quatuor. Aut enim contrariæ, vt, album, nigrum: aut priuatiuæ, vt, iustum, iniustũ: aut relatiuæ, vt, dominus, seruus: aut cõtradictoriæ, vt videre, non videre.

A contrariis igitur argumentum ducitur hoc modo, Si bona est sanitas, ægritudo mala est. Vel si est aliquod animal sanum, idem ægrum non est.

A priuatiuis ducitur argumentum, vt, Si iniustitia fugienda est, sequenda est iustitia. Vel si quid videns est, idem profecto non est cœcum.

A relatiuis autem ducitur argumentũ, vt, Quisquis pater est, filium habeat necesse est. Vel si quis pater est alicuius, eius filius non est.

A contradictoriis ducitur argumen-

tum, vt, Si quis est videns, idem iam non est non videns. Locus, ab oppositis. Maxima, In contrariis, priuatiuis, relatiuis, & contradictoriis, opposita sibi conueni re non possunt. In relatiuis insuper, alterum, sine altero esse non potest.

Ab oppositis argumétatur Paulus ad Galatas. 5. vbi ait, Spiritu ambulate, & desideriã carnis non pficietis. Caro enim concupiscit aduersus spiritum, Spiritus autem aduersus carnem: hæc enim sibi inuicem aduersantur, vt non quæcunq; vultis, illa faciatis. Manifesta sunt autem opera carnis: quæ sunt, fornicatio, immũditia, impudicitia. &c. Fructus autem spiritus est, charitas, gaudium, pax, patientia. &c.

A repugnantibus, siue a disparatis, argumentum ducitur, vt si ita dicamus, Homo est, igitur lapis non est. Locus, a repugnantibus, siue a disparatis. Maxima, Quæ sibi repugnant, hæc neutiquã conuenire possunt.

A repugnantibus argumentatur Chri-

stus Ioan. 15. cum ait, Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quęcunq; audiui a patre meo nota feci vobis.

A transmutata proportione dicitur argumentum, vt si ita dicamus, Sicut octo ad quatuor, ita sex ad tria: quippe quod vtrobiq; dupla sit proportio: Ergo sicut octo ad sex, ita quatuor ad tria: quæ numerorum ad seinuicem habitudo, proportionem vtrobiq; constituit sesquitertiam. Octo enim sex superat binario, quę tertia pars est senarii. Itidem & quatuor tria, vnitate, quæ & ipsa pars est tertia ad tria siue ad ternarium. Hinc & transmutata proportio dicitur, quod ab vna in aliam quasi transitus fiat. Locus, a transmuta proportione. Maxima, Si vt primum ad secundum, tertium se habeat ad quartum: & vt primum ad tertium, secundum se habet ad quartum.

De locis mediis.

MEdii loci dici videntur, quoniam in his argumenta neq; extrinsecus omnino, neq; ab his quæ inhærent in ipsa re de qua agitur, petuntur. Hi autem sunt duo (vt superius diximus) videlicet a coniugatis & a diuisione.

A coniugatis ducitur argumentũ hoc pacto, Iustitia bona est, ergo qui iustus ẽ, bonus est. Item, prudẽter agit, ergo prudens est. Locus, a coniugatis. Maxima, Si vnum coniugatorum cuipiam conuenit, & reliquum.

A coniugatis argumentatur Salomon Sapiẽtię.6. vbi ait, Potẽtes potenter tormenta patientur. Et Christus Matth.21. cum inquit, Malos male perdet.

A diuisione ducuntur argumenta, tum per negationem, tum per partitionem.

A diuisione per negationem argumentum ducitur, vt si quæratur, An vlla origo temporis fuerit? Et argumentatio formetur hoc modo, Tẽpus aut originem habet, aut non habet, Sed quia mundus æternus est (id disciplinæ gratia conce-

datur) tempus quoque æternum erit: quippe quod mundus sine tempore esse non potuerit. Quod vero æternum est, origine omnino caret: tempus igitur originē non habet. Item, hoc pacto. Tempus aut originem habet, aut nō habet: sed si tempus habet originē, non fuit semper: Tempus autē habet originem, fuit igitur, quando non fuit tempus. At qui fuisse, temporis est significatio: fuit igitur tempus, quando non fuit tempus: quod fieri prorsus impossibile est: non est igitur vllū principium temporis: ergo tempus originē caret. Locus, a diuisione. Maxima, Condiuidentium vno sublato, alterum manet, & posito altero, tollitur reliquum.

A diuisione tandem per partitionem, ducitur argumentum, vt si quæratur, An canis substantia sit, & talis formetur argumentatio, Latrabile animal substantia est, Belua marina substantia est, sydus itē cœleste substantia est. Hæc autem tria canis nomen significat, est igitur canis substantia. Item, Aut sanus est, aut æger, sed

sanus non est, igitur æger. Vel sic, æger non est, igitur sanus est. Vel ita, sanus est, igitur æger non est. Vel hoc modo, Aeger est, igitur sanus non est. Et hæc de argumentorum locis Dialecticis dixisse sufficiat. Qui quidem maxime in docendo Concionatori vsui erunt, (de quo vno potissime curam habere debet) vt inferius ostendemus.

De locis Rhetoricis.

LOci Rhetorici, quidam sunt communes, quidam non communes.

Ex communibus ii tantúmodo Christiano Concionatori conueniunt, scilicet, Honestum, inhonestum, vtile, inutile, Facile, difficile, necessarium, non necessarium. Ab his facile est argumenta ducere, vt cum volumus aliquid laudare, vel suadere, eo quod sit honestum, vtile, facile, necessarium: aut si volumus vituperare vel dissuadere aliquid, eo quod sit inhonestum, inutile, difficile, & non necessarium. De hisq; omnibus inferius, cũ

de vsu partium orationis agemus, latius dicemus.

Hic tamen illud monendum, ex locis Dialecticis sumenda esse argumenta, quibus ostẽdere valeamus, quid honestum sit, quid inhonestum, quid vtile, aut inutile, quid facile, aut difficile, & quid necessarium, aut non necessarium.

Ex iis vero locis qui communes non sunt, Concionatori tantum vsui erunt illi qui personis attribuuntur. Hii autẽ sunt, genus, natio, patria, sexus, ætas, educatio, disciplina, habitus corpis, fortuna, conditio, animi natura, studia, consilia, mors, & quæ mortem sunt cõsecuta. Ab hisq; omnibus argumenta ducuntur, cum volumus aliquam laudare personam.

A genere primo argumentum ducit, Nam similes parentibus, aut maioribus suis, filii plerunq; esse creduntur.

A natione, Nam & gentibus proprii mores sunt, nec idem in Barbaro, Grȩco, & Romano probabile est.

A patria,

A patria, quia similiter etiam ciuitatũ leges, & instituta, habent differentiam.
A sexu, vt, latrocinium facilius in viro, veneficium in fœmina credas.
Ab ætate, quia aliud aliis anni temporibus magis conuenit. Et in hac, argumẽta ducuntur, a pueritia, adolescentia, iuuenta, & senecta.
Ab educatione, & disciplina, Quoniã refert a quibus, & quo quisq; modo sit institutus.
Ab habitu corporis, Nam, vt frequenter ducitur in argumentum libidinis, species: ita petulantiæ, robur.
A fortuna, Siquidem nec iam credibile idem est in diuite, ac paupere, illo propinquis, amicis, clientibus, abundante: isto vero his omnibus destituto.
A conditione, Nam plurimum distat, clarus, an obscurus quis sit: magistratus, an priuatus: pater, an filius: ciuis, an peregrinus: liber, an seruus: maritus, an cœlebs: parens liberorum, an orbus.
Ab animi natura, Etenim auaritia, ira,

iracundia, misericordia, crudelitas, seueritas, & alii his similes affectus frequẽter fidem afferunt, aut detrahunt.

Ab studiis quoq;, Nam rusticus, forensis, negociator, miles, nauigator, medicus, aliud atq; aliud efficiunt, hoc est, aliud atq; aliud studium quisq; eorum exercet.

A consiliis, quæ & præsentis, & præteriti, & futuri temporis sunt. Ex præteritis enim extimari solent præsentia.

A morte, vt siquis pro republica, aut pro fide, & religione mortuus sit.

Ab his tandem quæ mortem sunt consecuta, vt si miraculis post mortem claruerit quispiam. Et hæc de argumentis, deq; locis argumẽtorum, quibus aliquid per argumentationem confirmatur, aut confutatur, dicta sint.

De argumentatione.

Repertis igitur argumentorum locis qui sint causæ adiumẽto, nosse opor

tet, quemadmodũ argumentationes or/
nate, & absolute tractare possimus, sic &
ipsi meminisse poterimus quid quo loco
dixerimus, & auditor argumentationum
distributionem, facile retinebit.

Argumentatio igitur, est oratio, per
quam res aliqua, aut probabiliter osten/
ditur, aut necessarie demonstratur.

Ex hac argumentationis definitione
apparet, quod omnis argumentatio qua
ad probandum aliquid vtimur, aut ne/
cessaria, aut probabilis dici debet.

Necessaria argumẽtatio ea est, per quã
ea demonstrantur, quæ aliter ac dicũtur,
nec fieri, nec probari possunt: vt si muli
er peperit, cum viro concubuit.

Probabilis autem argumentatio est,
per quam ea ostenduntur, quæ fere fieri
solent, aut quæ in hominũ opinione po
sita sunt. Ex his quæ plerunq; fieri solent,
huiusmodi est exemplum, *Si mater est di
ligit suum filium.* Ex his quæ in hominũ
opinione posita sunt, tale Cicero in rhe/
toricis de inuentione exemplum sub/

iungit, Impiis apud inferos pœnas esse paratas.

De argumentationis partibus.

ARgumẽtationis partes sunt quinq;, eius præsertim quæ absoluta, & perfecta habetur, quę sunt, Propositio, ratio, rationis cõfirmatio, exornatio, cõplexio.

Propositio est, per quam summatim ostendimus, quid sit quod probare volumus.

Ratio est causa, qua demonstratur id verum esse, quod intendimus.

Rationis confirmatio, est ea, quæ pluribus argumentis corroborat breuiter expositam rationem.

Exornatio est, qua vtimur rei honestandæ, hoc est, ornandæ tum & locupletandæ causa. Hæc exemplis, similibus, comparationibus, & cæteris hmõi constat.

Complexio est, quæ concludit breuiter colligens partes argumentationis.

Cæterum si breuis fuerit argumenta-

rio, supersedendum iam erit, tum exornatione, tum complexione: Exornatione quidem, vt si parũ locuples ad amplificandum & exornandum res esse videatur: Complexione vero, si res breuis est, ita vt facile memoria comprehendi possit: Vtrisq; autem si res tenuis atq; humilis fuerit.

Amplissima ergo absolutissimaq; argumentatio, quinque partita est: Breuissima, tripartita: mediocris, quadripartita, sublata videlicet aut exornatione, aut complexione.

Argumentationis igitur perfectæ & absolutæ, Exemplum ex epistola Pauli ad Hebręos sumere licet. Sic proponit Paulus capite. 6. Quod Iesus præcursor pro nobis introiuit interiora velaminis, secundum ordinem Melchisedec pontifex factus in æternum.

Rationem propositionis ostendit ex conditionibus ipsius Melchisedec & eius similitudine.

Confirmat rationem ex obuiatione,

ex benedictione, ex decimatione, ex nominis interpretatione, ex genealogia, ex infinitate. Item a contrario sic, quod non secũdũ Aaron, quod ex alia tribu, quod ex iureiurando, quod in æternum.

Exornationes horum omnium patent per totum Capitulum Septimum.

Concludit capite. 8. finaliter complectendo sic: Talem igitur habemus pontificem, qui cõsedit in dextera throni magnitudinis in cœlis. &c. quæ sequuntur.

Hæc argumentationis exercitatio ad plurima nobis est vtilis, non tantum ad sacras Conciones formandas, Verum etiam ad conficiendas epistolas, & consilia in senatu danda, & ad quælibet alia eloquia.

De confutatione.

EOdem vtitur inuentionis fonte confutatio, quo confirmatio vtitur, propterea quod quibus ex locis aliqua res confirmari potest, iisdem potest ex locis

infirmari. Neque enim ex aliis locis ratio argumentorum in hac parte peti potest, q̃ in cōfirmatione. Nec locorum, aut sententiarum, aut verborum, aut figurarum alia conditio est. Et ideo quam breuissime hanc partem expediemus.

Confutatio igitur est, obiectorum satisfactio, per quam aduersariorum cōfirmatio aut diluitur, aut aleuiatur.

Si ergo cum hæreticis sit nobis contēdendum, eorum confirmatio diluit, modis Dialecticorum ab Aristotele traditis.

Aleuiatur vero iis quæ sequuntur: aggressione cuiuscunq; grauissimi, vt cętera auditor vana credat.

Intermissione, breuitatis causa, si tempus daretur, plane satisfacturi.

Promissione solutionis, si antea pauca dixerimus, quorum multitudine auditorem obruimus, in tantum obtundendo, vt promissæ solutionis immemor fiat.

Attenuatione, ostendentes amplificando fuisse possibile quod aduersarii dixerunt impossibile, aut alia mente factum,

aut punitum, aut pœnitentia emendatũ.

Admonitione, qua aduersarium, si in argumento eo perseueraret, in pericula casurum minabimur.

Quæstione, duorum vel plurium, ex quibus male alterum sit electurus aduersarius, vel cui respondere nõ possit.

Retorsione argumentorum in aduersarios.

Illusione, quãdo argumenta in risum resoluimus.

Contemptione illorum, tanquam humilia, extra propositum, doctis indigna prætereuntes.

Suspicione postremum. Nam quæ probare non possumus, figuratis suspicionibus aspergenda sunt.

De Peroratione.

SEquit vltima sacræ Concionis pars, quam alii epilogũ, alii peroratione, alii conclusionem, & alii cumulum vocant.

Peroratio

Peroratio seu cōclusio est, artificiosus sacræ concionis terminus, auditoris memoriam reficiens, & animum eius commouens.

Singulæ sacræ Concionis partes suos epilogos, & breuissimas conclusiones recipiunt, præter diuisionem. Quemadmodum enim singulæ Concionis partes, suas habent propositiones, sic etiam suos epilogos habēt. Is autem qui vniuersam Concionem claudit, peroratio proprio nomine appellatur. Singulæ (inquam) Concionis partes, suas habent ꝓpositiones, quoniam nomine propositionis dupliciter vtimur. Alias propositionem vocamus eam sententiam, ad quam omnia argumenta referuntur, quæq; per totam Concionem tractatur, & exponitur. Alias generaliter omnem sententiam propositioné vocamus, cui rationes subiiciunt. Habent autem suas rationes exordia, habent suas rationes singula argumenta: ea igitur sententia, ad quam illę referuntur, propositio vocatur, quod, scilicet, quem

admodum quę propriẹ ppositio dicitur, per totum Concionis tractatur corpus, ita hæc suum peruagatur locum, & sicut illa in tota oratione, sic hæc in sua parte dominetur. Et hoc etiam ipsum similiter est obseruandum in peroratione, vt large & proprie perorationem accipi intelligamus, atq; illa simpliciter, ac proprie peroratio dicatur, quæ totius habitę Concionis epilogus, & conclusio sit.

Peroratio igitur, seu conclusio, quæ pars est totius Concionis ecclesiasticæ, constat enumeratione, & amplificatione.

Enumeratio est, per quam ordine colligimus, & commonemus, quibus de rebus verba fecerimus, breuiter vt renouetur, non redintegretur, hoc est, enumeratio est per quam res disperse, & diffuse dictæ vnum in locum coguntur, & reminiscendi causa vnum veluti sub aspectum subiiciuntur. In qua parte hoc commune a Cicerone præceptum datur, vt ex singulis argumentationibus (quoniam simul omnes iterum dici non possunt) id eliga

tur, quod erit grauissimum, & vnúquodque quam breuissime transeatur, vt memoria, non oratio renouata videatur.

Curandum est præterea, ne aut a principio, aut a lectione, repetatur Concionis enumeratio. Quapropter secundum diuisionem sumendum est enumerationis initium.

Amplificationis tota vis est, & mouere animos tepentes, & sedare commotos.

Motus, est incitatio animi, aut ad voluptatem, aut ad modestiam, aut ad metu m, aut ad cupiditatem. &c.

Ad voluptatem mouentur homines, aut charitate, vt Dei, angelorum, sanctorum, ecclesiæ: aut amore: vt fratrũ, coniugum, liberorum, familiarium, prælatorum, & officiorum in ecclesia: aut honestate, vt virtutum, maxime earum, quę ad communionem hominum, & libertatem, ac mandatorum aleuiationem, & conscientiarum serenationem valent: aut decore, transferendo sensibilia ad intelle-

ctum, deinde ad mentem, demum ad vi-
tam angelicam.

Ex his & cohortationes sumuntur ad ea, quæ religionis sunt retinenda, & in eos a quibus ea violata sunt, odia incitantur, & miseratio nascitur. Hæcque sunt, quæ de sacra Concione, deque partibus eius, paucis dicenda nobis occurrebant.

Iam vero, ad vsum
omnium horum
transeamus.

DE RECTO SACRAE CONcionis partiũq; eius vſu.

CAES A iam eſt materia, e qua domum extruemus, ligna, lapides, omnia deniq; pro rei vſu ſunt cõportata : tractatum enim eſt iam ſupra, de arte ſeu facultate concionandi, de cõcionatore, de concione, deq; omnibus ad hæc expectantibus: nihil deeſt amplius, q̃ vt rectum omnium illorum vſum oſtendamus. Pro cuius faciliori captu, & planiori intelligentia, animaduertendum eſt, quod ſcriptores, initia artium, ex artificum officiis ducunt, poſtea viã quærunt ac rationem, qua officia illa perficiantur. Qui enim de Principis inſtitutione ſcribunt, initio partiuntur officia Principis, vt pacem, domi, legibus, ac iudiciis, in bello, armis, defendat. Medici priuſquám præcepta de dieta, aut morborum remediis trádunt, officia commemorant, ſanitatem conſeruare, & morbos curare. Quare nos etiam tradituri

quædam de vsu sacræ concionis præce-
pta cōcionatoribus, primum quę sint cō
cionatoris officia, ostendemus. Tractatu
vero primo diximus ex Cicerone & Au-
gustino, concionatoris officia esse tria, sci
licet docere, delectare & mouere seu per
suadere: Verum illis iam tribus, quartū
hic addemus officium, videlicet, lauda-
re, seu vituperare. Cæterum ex his, dele-
ctare, non erit præsentis considerationis,
quoniam delectabit vtiq; Concionator,
si suauiter dicat: dicet autem omnino sua
uiter, si rite, quæ supra iam tradidimus,
præcepta seruauerit. Nec delectare (vt
iam cum de elocutione tractabamus, mo
nuimus) pręcipuum Christiani Concio
natoris erit officium.

Tria sane tantūmodo præcipua Chri
stiani Concionatoris sunt officia, docere,
suadere, vel dissuadere, & laudare, vel vi
tuperare.

Siue ergo docere velit Concionator,
quæ sit vis & natura religionis: siue lau
dare rem, vel factum, aut personam quā-

piam: seu hortari, tum ad fidem, tum ad bonos mores: præcipuam & primam hanc habeat curam, vt recte intelligat ea quæ tractáda suscipit. Nemo enim de re, quam ipse penitus non habeat cognitá, docere aliquos perspicue potest.

Proximum est vt ex re sic perspicue & adamussim intellecta, deligat & assumat sibi propositionem aliquam, quæ summam totius causæ quam tractare vult, complectatur, vt certe habeat quod dicat, ne rudes animos varie rerum mole obruat, & consarcinata oratione operá ludat, & frustra laboret.

Cognoscet præterea an talis propositio, thema sit simplex, aut compositum, quoniam in genere Didactico, non eodé modo nec ex eisdem locis, thema simplex & compositum tractantur, vti iam ostendemus.

Quarto deinde loco, inuestigabit, ad quod genus causæ, illa propositio seu thema pertineat. Aliter enim si ad genus Didacticum, & aliter si ad Demonstrati-

uum, aut Deliberatiuum expectet, tra-
ctanda erit propositio.

Animaduertet item, quod cum gene-
ris Didactici duplex (vt diximus) sit
thema, quod nec vnum neq; alterum, cũ
simplici aut composito, generis tum de-
monstratiui, tum deliberatiui themate
(in tractatione) concurret: sed ex suis
vtrunq; propriis sibi locis tractabitur.
Secus tamen est in alteris duobus gene-
ribus: siue enim simplex siue compositũ
sit thema, generis seu demonstratiui seu
deliberatiui (nisi laudanda sit persona)
eosdem suæ tractationes cõmunes sibi
habent locos. Dixi nisi laudanda sit per-
sona aliqua, puta vt Christus, Beata vir-
go, aut quisquam sanctorum: quoniam
cum hoc continget, id faciet conciona-
tor, ex locis illis Rhetoricis (quos supe
rius diximus ad personas expectare) ar-
gumenta ducendo. Hoc est, personam
cõmendabit, a genere, natione, patria, se
xu, ætate, & cæteris.

Agemus igitur hic primo, de simplici
thematе

themategeneris didactici,deinde secun-
do de composito generis eiusdẽ, & tan-
dem tertio,de thematibus simul & gene
ris demonstratiui,& deliberatiui, vt no-
stra hæc tractatio,tripartita sit.

De simplici themate generis Didactici.

CVm igitur vna aliqua vox explican-
da est,primo omnium de definitio-
ne erit constituendum. Deinde quęrendę
causę,post partes,quarto officia seu vsus,
postea partium comparatio, & vltimo
contraria.

Quemadmodum autem speculum be
ne politum, certissime reddit formams
ita non potest certius videri quid res sit,
nisi eam definitione circumscripseris. Si
quis tibi magnifice prędicaret ingentem
aliquem thesaurum, tu autem neq; quid
aurum, neq; quid argentum esset nesses,
vana nimirum, quantumuis magnifica,
esset prædicatio. Ita is demum rectissime.
docebit, qui primo quid res sit, deinde

vsum rei explicarit.

Si igitur institutus esset sermo de fide, primo omnium quęrenda erit definitio, quid sit fides, Nisi enim definitioné præmiseris quæ ceu viam reliquæ dispositioni sternat, nihil intelligent auditores.

Fides igitur iuxta Pauli sentétiam ad Hebr. II. est substantia rerum sperandarũ argumentum non apparentium. Vel secundum Theologorũ scolam, Fides est, firmus assensus credédorum, propter dei reuelationem.

Iactum iam est aliqua ex parte fundamentum. Pergamus iam & causas quoq; videamus, nam hoc, secundo loco est agendum.

Porro cum causas hic quærimus, fere quærimus vnde res aliqua ducat principium, aut sicut Dialectici dicunt, quam habeat causam efficientem, materialem, & formalem: quoniam finalis causa, sub postrema quæstione, vbi de officio quæritur, tractatur.

Et si fides ergo acquisita ex auditu sit

verũ, efficiens fidei causa principalis, est spiritusſanctus, qui primo mentes co-gnitione peccati, & iuditio Dei terret: postea affectũ in nobis creat, vt credamus, & quod vera sunt quæ dicit & promittit Deus, & quod ea ad nos pertineant.

Formalis fidei causa est charitas, sine qua fides informis & mortua manet.

In talibus disputationibus impropriè materiæ nomine vtuntur, cũ dicunt materiam non ex qua aliquid fit, sed eam rẽ circa quam versetur. Sic medicinæ materiam dicunt: morbos, quod scilicet circa morbos medicina versetur, eosq; curet, non quod sicut ex lapidibus domus, ita ex morbis medicina constet.

Videbimus autem & nos materiam quoq; fidei, quæ ex definitione colligitur. Cum enim statuimus fidem esse firmum assensum credendorum propter Dei reuelationem, sequitur fidem versari circa omnia quæ nobis ab ecclesia proponuntur tanquam credenda, vtpote a Deo reuelata, vt sunt articuli omnes fidei

& sacramenta, & omnia quæ in sacris bi bliis continentur.

Externum igitur hoc verbum materia est fidei, in qua se sic exerceat, vt in curandis morbis medicus.

Vbi causas tractaueris, videndũ quo[illegible] est, quas ea res habeat partes, vna ne sit, an plura contineat. Est autem tam necessaria hæc pars, q̃ definitio: neq; enim fieri potest, vt recte is doceat, qui non diuidit commode. Debet autem hic tertius locus eo quoq; nobis esse cõmendatior, quod ex eo petantur plerũq; definitiones. Recte enim intelligi potest quid sit corpus humanum, si dicas esse quod constet ex capite, collo, pectore, ventre, manibus, & pedibus. &c. Verum non omnia nomina sic diuiduntur, pleraq; enim vnam tãtum & simplicem rem significant, quæ nullas partes seu species habet. Sed fidei nomen simplex non est, quoniam diuiditur fides, informatam & informẽ: seu in fidem viuam, & mortuam: aut vt aliis placet in historicam & iustificantem.

Quartus locus simplicium thematũ tractãdorum, hic est, videre officium seu vsum rei. Hoc vocarunt Dialectici effe-ctum. Item finalem causam. Aedium vsus hic est, defendere nos ab iniquitate aeris, item vt & nos & nostra in illis tuto esse possimus. Sic fidei quoque aliquis erit vsus, neq; enim res aliqua est, cuius non sit certus vsus & finis.

Fidei igitur formatæ, seu viuæ officiũ, & vsus est, quod inserit nos Christo.

Fidei vero informis, seu mortuæ, offi-cium & vsus erit, assentire, & credere o-mnibus illis, quæ nobis ab Ecclesia, vt credenda proponuntur.

Ex isto vtiq; quarto loco, facile erit & quintum tractare, scilicet partium com-parationem. Comparanda enim est for-mata fides cum informi, & inde vtriusq; discrimẽ assignandum, & ostendendum.

Postremus tandem locus huius tracta-tionis, est perquam facilis: sed qui maxi-me confert ad docendum, Et hic est, ea quæ sunt contraria rei de qua est sermo,

In medium adducere. Vt fidei contraria est incredulitas. Hic etiam collatio quædam facienda est, inter fidem & incredulitatem, vt quæ sint quæ ex vtraq; sequantur cómoda vel incómoda, auditor intelligat.

Vt quæ auté diximus facilius ac planius percipiantur, aliud subiiciamus de Matrimonio exemplum.

De Matrimonio.

QVid? Mutuus consensus, quo alter alteri se dedat, omnia, siue bona, siue mala toleraturus.

Vnde? A Deo, quia ipse constituit in Paradiso.

Partes hic non habent locum, quia vnicum est matrimonium.

Officia, Procreare prolem, pie educare ne posteritas pereat.

Comparatio partium (cum matrimonium partes nõ héat) hic locũ nõ habet.

Contraria, adulterium, scortatio. &c.

Hoc quidé modo simplices quæstió/nes omnes explicandæ illi erunt, qui certe aliquid ita docere vult, vt intelligi ab auditoribus possit. Nihil deest amplius, q̃ vt capita illa, quę iam enumerauimus, tum poliantur, tum apte compingantur. Neque enim si hæc ita communiter pro Concione dicas, intelligent auditores, & ceu rudis, & nódum elaborata materia, asperiora erunt hæc, quam quæ animis hominum adhærescere possint: Instru/mentis iam opus erit, quibus materies poliatur. Adferendum ad hæc est iam dicendi genus popularius ac copiosius, & quemadmodum impulsa vela ventis, na/ué sine negocio ferunt, sic ad hæc cómo/de ꝓponenda tale orationis genus requi/rif, quo ceu véto aliquo inspiratę res, sine negocio vllo in auditorũ animos feran/tur. Sunt tenues illæ rerum sex quæstio/nes, aptis similitudinibus exornandæ, contrariis sententiis augendæ, distingué/dæ exemplorum copia, neq; illorũ quic/quam quæ ad orationem augendam or

nandamq; videntur conferre, prætermit tendum est diligenti doctori. Deniq; discurrendum est concionatori, per omnes illos locos quos Dialecticos appellauimus, & ex illis quæ apta sibi ac conuenientia videbuntur argumenta (ad rem non solum confirmandam & manifestãdam, verum ad amplificandam quoq; & exornandam, atq; animis auditorum facilius inculcandam) diligenter omnino colliget, & his sex membris seu quæstionibus suo cuiq; loco conuenienti, applicabit. Quod quidem, si iuxta præcepta, & documéta a nobis in hoc opusculo tradita, quodam cum iudicio & ratione, fecerit: miram in seipso dicendi copiam, experietur. Tunc prorsus tandem talis dicendi facultas vere parabitur, si ad magnum dicendi vsum, diligentem Ethnicorum scriptorum adhibueris lectionem. Quemadmodum enim fieri impossibile est, vel mediocriter pingere ex solis preceptis, si non habeas magistrum, qui manum in ducendis lineis primo dirigat,

rigat, deinde nisi exempla proposita se-
quaris: sic cum nulla alia eloquentię ex-
empla, nullos alios magistros, q̃ vt vete
res illos habemus, nisi ad illorum exem-
plum nos comparauerimus, eandemq;
quam ipsi in dicendo secuti fuerimus ra-
tionem, nil promouebimus. Quia autem
longe felicius is qui in docēdi officio est,
promptumq; dicendi continuum vsum
habet, dispositionem orationis alicuius
in Virgilio, aut alio scriptore intelliget,
q̃ qui sine illo dicendi vsu, eam quātum
uis diligenter legit: neutiquam commit
tere debent, qui publice sacras res docēt,
vt non aliquando ad illos solos eloquē-
tię magistros recurrant, cum hoc etiam
affirmare ausim, cum ad docendum vo-
cati sunt, debere illos ex officio hæc stu-
dia sequi quę rationem bene & recte di-
cendi tradunt. Quod quidē qui fecerint,
& Basilii, & Cipriani, & Chrisostomi cō-
ciones ad hūc modum formatas, exacte
percipient: & suas similiter ad illarum
normam facile component.

De themate cõpoſito generis didactici.

DIximus ſupra cum de exordio agebamus, duo eſſe genera thematum compoſitorum: alia enim docent, alia verſantur in locis ſuaſoriis, cum adhortamur, aut dehortamur, commendamus aut vituperamus aliquid. Nec difficile eſt, diſtinguere ea quæ docent, ab iis quę hortantur, aut dehortantur. Ea enim quę docent, plerunq; ſunt aut de fide, aut iuſtificatione, aut de lege, aut de remiſſione peccatorum, ac ſimilibus. Ideo enim hęc tractantur, vt inſtruantur animi hominũ in vera religione. De iis igitur thematibus quæ hortantur, aut dehortantur, vltimo dicemus loco. De his vero quæ docent, ille ordo cõſeruandus eſt, vt primo ipſa vocabula explices, Secundo explices ſimpliciter ſentẽtiam, Tertio quæras rationes, & ſententias, Quarto exemplis illuſtres, Quinto confutes contraria. Hác ſententiam pro exemplo proponamus, Opera charitatis ſunt meritoria vitæ æternæ.

Principio omnium, in hoc atq; simili- bus exemplis, diligenter explicandi sunt illi termini, ex quibus potissimum senten tia constat, quales hic sunt, opera chari- tatis, meritoria, & vita æterna. Neq; enim vnquam recte sententia aliqua explicabi tur, nisi prius partes, ex quibus constat, diligenter exposueris. Non autem necesse est, tam copiose omnia persequi in hac partium expositione, vt supra in ratione simplicium thematum ostendimus: sed complecti breuiter ceu vno fasce compli catam sententiam debemus, eamq; pro- ponere.

Explicatis igitur iam pricipalioribus thematis partibus, sententia quam sim- plicissime potest, proponenda est, vt si propositionem iam supra positam, in hunc deinde modū proponamus: Ope ra quæ ex charitate procedunt, non tan- tum premium habet temporale, verum etiam æternum. &c.

Est autem hæc interpretatio sententiæ longius trahenda, propterea quod firmi

us ea adhæreſcant animis, quæ pluribus verbis dicuntur. Hic vtiq; habent locum omnia argumenta & rationes, quæ ex locis Dialecticis duci poſſunt: vt & ſententia, ita prius ſimpliciter explicata, variis deinde argumentis ac rationibus manifeſtetur & confirmetur.

Vbi autem ſententiam ſic explicaris, colligendæ ſunt ex ſacris literis aliæ ſententię, quibus ceu rationibus & argumentis, expoſitionem tuam cõprobes. Quod ſi quæ obſcuriores ſunt, illæ quoq; indicandæ & tractandæ ſunt.

Debet autem ſumme caueri ab iis qui ſacra docent, ne multam ſententiarũ congeriem connumerent. Hoc faciendũ eſt, vt paucæ atq; illæ aptiſſimæ & conuenientiſſimæ & quoq; apertiſſimę producantur: in quibus explicandis, ſemper oratio ad inſtitutam ſententiam eſt dirigenda. Satius enim eſt, vnum & alterũ clarum teſtimonium & firmum produxiſſe, q̃ multas quæ ad inſtitutum non ita multum faciant, ſentẽtias allegaſſe. Nam præ

terquam quod incertis & male detortis scripturis non confirmãtur animi homi num, obscurantur etiam res magis ac ma gis illa sententiarum copia.

Iudicium igitur aliquod requiritur, vt videas quæ nam maxime ad institutã propositionem tuam faciant: & non vt quæq; sese prima obtulerit sententia, pro ferenda est, sed vt quæq; plurimum lucis attulerit, plurimũq; valuerit. Videmus autem hoc quoq; in doctorum hominũ disputationibus & scriptis. Ii plerunq; vnam aut alteram sententiam habent apertam & grauem, quam aduersariorũ infinitis rationibus & scripturis oppo/ nunt: id quod nobis quoq;, cum impe/ ritam plebeculam docemus, faciendum est: facillime enim ea intelligent, quæ mi nimum obscuritatis habent: & si non obruantur animi numero sententiarum, firmius eas retinebunt.

Cum igitur nostram institutam propo sitionem cõfirmamus, illæ sententiæ qui bus vtimur certæ esse & apertæ debent.

Quemadmodum enim in iudiciis, illi teſtes, quorum ſuſpecta fides eſt, reiiciuntur, ſic quoqꝫ in oratione non niſi illa adhibenda ſunt, quæ ſunt apertiſſima & minimum ambiguitatis habent.

Proximus locus ſunt exempla, quæ quamuis non tantum probent, quantum ſententiæ, tamen ad probandum nõ nihil faciunt, & maxime orationi afferunt lumen: præcipue autem in ſuaſoriis ſermonibus dominantur.

Quemadmodum autem in colligendis ſententiis præcepi, ſic & hic moneo, vt ea tantum exempla afferamus, quæ ſint apertiſſima.

Pręterea hoc quoqꝫ monendum eſt, in narrandis hiſtoriis magnam circunſtantiarũ curam eſſe debere, vt omnia quam commodiſſime referantur. Nam cum illis oratio multum augeatur, ad perſpicuitatem quoqꝫ plurimum conducunt.

Poſtremus locus ſunt cõtrarię ſententię, ſeu confutatio eorũ quę opponi pñt. Sunt autem ſemper obſcuriora per cla-

riora exponenda: quod si quę omnino disentiant, ea sunt interpretatione aliqua mitiganda.

Ad huncvtq; modũ, Thematũ alterũ genus tractat̃, quod vocatur Didacticũ. Debet autẽ nobis hęc ratio ideo esse commendatior, quod fere in omni sermone ea vtamur, & apud veteres, qui rectissime locuti sunt, ad hũc modum grauissimas res explicarunt.

Ciceroni autem præ reliquis in vsu fuit hæc ratio. Principio propositionem ponit, illi plerunq; rationem subiicit, nõ nunquam etiam illius rationis aliam afferent rationem, tandem exẽpla addit. &c. Si igitur aliquando concionatori placuerit, hanc Ciceronis rationem sequi, id cõmode facere sciet ex præceptis, tum totius concionis, tum maxime argumentationis, supra suis locis a nobis traditis: neq; opus est illa eadem hic repetere. Tantum monendum, locos Dialecticos huic tractationi maxime posse inseruire.

Cæterum quia nobis sic loquendum

est, cum vulgo sacras res tractamus, vt quamplurimum nos intelligant, & dicendi ratio, apud illos solos, qui olim scripserunt in latina lingua, extet, impiũ est sic contemnere humanarum literarũ studia, vt plerique nunc faciunt, quin potius Deo agendæ erant gratiæ, pro illa cõmoditate, quod etiam gentilium scriptorum lectio, ad verbũ Dei felicius & clarius docendum conducat.

De thematibus generis deliberatiui simul & demonstratiui.

SVpra iam monuimus generis deliberatiui thema, semper esse compositũ, generis vero demõstratiui tũ simplex tũ etiam compositum, quoniam personæ & res sunt simplicium thematum, facta sunt cõpositi thematis. Monuimus præterea, quod cum persona commendanda est, argumenta ducenda sunt ex locis rethoricis ad personam expectatibus.

Siue igitur res, siue factũ aliquod laudandum

dandum aut vituperandum sit, siue quic quam adhortandum aut dehortandum, eisdem vtimur locis. Loci vero per quos huiusmodi themata tractantur, fere hi a rhetoribus prescipti sunt, honestum, inhonestum, vtile, inutile, facile, difficile, & necessariũ. His sane locis, ad bona opera, ad pacem, ad cœlibatum, ad coniugium, ad verã pietatem adhortamur: quibus etiam dehortamur a vitiis, ab impietate, auaritia, luxuria, ebrietate, seditionibus, rixis, & similibus. Est autem facilior horum thematũ tractatio, quoniam qui diligẽter simplicium thematum generis didactici locos didicerit, is faciliorẽ ad hęc quoq; aditum habebit: nam fere ex illis nati sunt, sicut commode indicabimus.

Honestum vocarunt, cum aliquid aut Deo probatur, aut cum nostra ratione & iudicio consentit. Sic inhonestum homicidium dicitur, quod prohibuerit id Deus, & nostra nos conscientia post admissam cędem dãnet & accuset, sicut in ho-

micidis videmus. Sic honesta dicitur re
ligio, quod Deus eam probet, & exigat,
& nostra ratio statuat Deũ colendũ. &c.

Nos quia sępius in docendo ad hunc
locum recurrimus, pro exemplo tractabi
mus hanc sentẽtiam, Bona opera esse prę
standa. Tractaturus igiť hanc sentẽtiam,
primo omnium explicabit definitione
subiectum: hoc enim in omni disputatio
nẽ, cuiuscunq; tandem generis sit, facien-
dum est, vt hæ voces quæ potissimũ tra-
ctantur, definitione circunscribantur, vt
ceu in certo loco consistere auditor pos-
sit, neque huc illuc ue incertus animus de
principali termino (vt sic vocem) vol-
uatur.

Statim autem, postquam admonuisti,
quæ bona sint opera, nempe ea quæ ex
charitate Christiana procedunt: conuer
tendus animus, & cogitatio ad honesti
locũ est. Dixi autem honestũ dici, quod
tum Deus præceperit, tum etiam nostra
ratio probet. Congerenda igitur vna aut
altera sententia est, aperta & propria qua

Deus opera a nobis exigit, deinde ratio quoq; nostra quid sentiat consulenda: ex illa enim omnes sententiæ, quæ passim apud Gentiles de moribus extant, natæ sunt. Faciunt autem & illæ, si modice & suo loco aspergantur, commendatiorem & elegantiorem orationem.

Faciendum autem est, vt paucissimis sacræ scripturę sententiis, sicut supra iam monui, iisq; grauissimis vtamur. Et delectus quidam adhibendus est, ne ex tantis opibus ea quæ vilissima sunt, & minime precii, stulte delegisse videamur.

Supra in simplicibus thematibus generis didactici de definitione, & causa efficiente præcepimus: ex iis duobus locis nascitur fere locus honesti, si diligentius consideres.

Notabis autem, ꝙ argumenti tantum nomen honesti sit, neq; dicturo publice hoc nomine vtendum est, Opera sunt honesta. Sicut quoq; nemo sanus cum docet, iam propositionis, iam cõfutationis nomine vtitur. Sed illa nomina ideo sunt

reperta, vt commonefacerent quid in di/cendo sequēdum, aut quo noster animus referendus esset.

Stultum igitur esset declamantem dicere, Opera sunt honesta, ergo præstādā. Quin sic potius propones, Bona opera nullo modo Christianis omittēda sunt, quia ea exigit Deus, & quoq; nostra ratio nos commonet, ea esse præstanda. Hæc erit huius loci ab honesto propositio. Habet enim singuli loci suas partes.

Confirmationis deinde vice subiiciēdæ sunt rationes ex locis Dialecticis de/ductæ, & sententiæ, in quibus Deus præcepit bona opera: illæ sunt exponendæ, illustrandæ, amplificationibus & exem/plis exaggerandæ. &c. Deinde conclu/sio subiicienda, Ergo non sunt omitten/da bona opera. In hanc sunt similia con ferenda, itē oīa genera amplificationū.

Dixi quid sit honestum. Iam igitur & quid vtile vocatunt, explicandū. Quā/uis autem ipsum nomen satis apertum sit, quia tamen omnia crassissime trādere

decreui, & illud explicare non grauabor ne quid imperitior harũ artiũ requirat.

Supra in simplici generis Didactici themate, quartus locus erat officium seu effectus. Inter locum igitur vtilitatis & effectum nihil aliud interest, quam quod hoc nomine Dialectici, illo rhetores vtã tur. Cum vsum enim rei consideramus, quid conferat meditamur, hoc est, quid hoc aut illud fecisse prosit, quid obsit ne glexisse, &c.

Sunt & in hoc loco, vt eo grauior fiat oratio, sacræ sententiæ, quæ premia bo nis operibus promittunt, conquirendæ. Habent autem varias promissiones bo na opera, & ad plura prosunt. Primo igi tur loco illi effectus sunt proponẽdi, qui sunt grauissimi. vt. 2. Petri. I. Fratres sata gite, vt per bona opera, certam vestram vocationem & electionem faciatis. Itẽ, Ite in ignem æternum, qui me non paui stis, non visitastis, &c. Hic æterna vita bo nis operibus promissa est. Item corpora lis promissio, Quicunq; fecerit hæc, viuet

In eis. Item, Qua mensura mensi fueritis. &c. Sic confirmant bona opera vocationem nostram, promissionem vitæ ęternę habent, habent promissionem omnium bonorum corporalium, sicut Psalmus dicit: Non vidi iustum derelictum, neque semen eius quærens panem.

Hi effectus sunt amplificandi collationibus, item aliis ornamentis, item circunstantiæ tractandæ. Quicunque fecerit, hæc minimo ex meis, mihi fecerit. Non homo, sed Christus, cui illa omnia fiunt, est respiciendus.

Est circunstantia personæ, quam licet amplificare bono ornamento. Si Christus adhuc esset viuus, omnes ad illum curreremus. &c. Propior autem iam est, cum se in omnes illos, qui nostra opus habent ope, cōclusit, & aperte dicat, sibi fieri, quicquid minimo ex suis fiat.

Hi duo loci copiosissime semper ac fere soli tractantur. Est autem plane contrariorum eadem disciplina. Quemadmodum enim honesta, Deo volente & man

dante,item approbante nostra conscien tia fiūt,ita turpia & inhonesta Deus pro hibuit,& nostra ratio damnat. Similiter quemadmodum illa prosunt,sic hæc ob sunt,& vt bonis operibus promittit De- us vitam æternam, sic vitia punit æter- na morte & ira sua. Præterea quæ vitio- rum incōmoda, illa non est huius loci aut instituti recensere,sunt enim quibus- uis nota. Hoc tamen obseruandum est, quod & illa nonnunquam sacræ literæ referant, addant tamen aliquid maius, quam humanę literę aut ratio,scilicet iu dicium Dei,& iram.Sic Salomō tribuit ebrietati,quod pariat tumultus,addit ta men hoc facere quoq; subsanatores, qui Deum magis ac magis lacessant, ruere e peccato in peccatum. Illa diligenter sunt videnda,suisq; illustrāda coloribus

Reliqui sunt duo loci, facilitas & ne cessitas,ii plerunq; adhibentur loco am- plificationum. Vt si dicas de bonis ope- ribus. Tanta commoda promittit Deus bona facientibus, quam autē paruo no-

bis illa conſtabunt? Non exigit vt opes tuas profundas temere, vult te dominũ eſſe tuorum fontium, riuulos tantũ vult te foras deducere, prohibet illam turpẽ auaritiam: ſi re non potes, iuua conſilii, labore, opera tua, &c.

Similiter & neceſſitatis locum tractát. Hęc quidem facientibus, bona infinita ſunt promiſſa, quę niſi ſponte fecerimus, cogemur cum noſtro malo. Habet magiſtratus ius homicidas, adulteros, fures necandi. Quod ſi conſulto ab his vitiis abſtinere non voles, fer tuam pęnam. Recidunt fere hęc in honeſti locũ, quod Deus pręcepit, cui ſit parendum, & in locum vtilitatis, ſicut vides.

Hoc vero monendum eſt, nullum amplificationum genus neq; facilius, neque vberius eſſe, q̃ ſi contraria ſeu Antitheſes ſubiicias: vt ſi dicas de premiis, quę propoſita ſunt bonis operibus, ſubiicias pœnas malis operibus ꝓpoſitas, Hęc Deus nobis propoſuit & promiſit. Quod ſi nihil tantis promiſſionibus cõmouemur,

at horribiles pœnæ nos a peccando re-
trahant: æterna enim morte puniet pec-
cata, sicut dicit. Præterea ira sua viuos
etiam num ac mala conscientia torque-
bit & premet, omnia illis erunt aduersa.
Obiicieť ipsorum vita variis periculis,
morbis, inopia, ignominia premenť. &c.
Nomen impiorum ad posteros radici-
tus euertetur, & peribit.

Ex his Antithesibus tantum lucis acce-
dit orationi, præterea quoq; tantum ad
persuadendum faciũt, quantum nullum
aliud genus amplificationum.

Faciendum igiť est, vt semper ad con-
trarias sententias nos referamus. Sic vbi
vituperasti ebrietatem aut iram, subiicien-
da laus est sobrietatis, aut patientiæ. &c.
Quia autem hoc postremum genus plu-
rimum ornamentorum recipit, diligen-
ter venanda nobis sunt ea, tum ex Orato-
ribus, tum ex Poetis Latinis, apud quos
omnis dicendi ratio sepulta est.

Neminé igitur Theologorum pudeat
nonnunquam vel orationem aliquã Ci-

ceronis, vel Virgilii poema manibus cir cumferre. Nam qui diligenter dicere vo- let, ille statim deprehendet, maiorem o- mnino illarum literarũ esse vsum, quam vulgus Theologorum nostri seculi intel ligat.

Legat prętera eos qui de moribus for mandis scripserunt, puta, Platonem, Ari stotelem, Senecam, Plutarchũ, & alios. Quoniam si contra ebrietatem, aut iram, dicturus sis, omnia quæ dici possunt, ex- ceptis sententiis sacris, quę Dei iram mi- nantur, a quouis gentili vel dici potue- runt, vel forsan iam dicta ab illis inueni- es. Sunt enim effectus ebrietatis, aut iræ damna & incommoda, item magna tur pitudinis pars, rationi ac oculis subiecta. Deme igitur sententias sacras, & tam be- ne contra ebrietatem, aut iram Cicero de clamabit, q̃ Christianus quispiam.

Duplex ergo est ad hæc tractanda ad- ferendum instrumentum: sacræ sentẽtię, quę bonis operibus promittunt premia, & vitiis minantur iram Dei: Item nostrę

rationis iudicium, & experientia, quę cū de externis rebus iudicare debet, tanquā in suo regno statuere aliquid certi potest. Sicut enim certo de colore iudicare oculi possunt, sic etiam ebrietatis, aut iræ dā/na & turpitudinem perspiciunt. Quæ si dicendo exaggeres, & ceu vno fasce con uoluta, latius auditorum oculis spectan/da euoluas & explices, apta ea ad dehortandum, aut persuadendum erit oratio.

Illud postremo monendū est, tria hęc genera (de quibus diximus) Didacticū, scilicet, demōstratiuum, & deliberatiuū, inter sese aliquando ita commisceri pos/se, vt id ipsum quod docemus, simul & commendare & persuadere possimus.

Cæterum est & aliud quartum quoq; genus (in sacris concionibus) dicendi, vbi simpliciter tractatur scriptum, hoc est, cum tractatur textus euangelicus eo ordine simpliciter quo scriptus est de verbo ad verbum. De quo vtiq; genere, non necessarium fore duxi, exemplum speciale aliquod proponere, cum nihil

eo genere vulgarius sit, nihilq; facilius. Quamuis enim peculiaris ab aliis & diuersa eius generis tractatio facta sit: ego tñ eam non feci, quia etiam in ea tractatione nónunquam vel simplex aliquod thema, vel locus communis explicatur, & potest ea tractatio ex his, quæ nos tractauimus, exemplis peti, neq; ideo necesse est peculiaria eius rei pcepta tradere. Hoc tamen admonendum est, vt etiam in illa simplici tractatione textus, quantum fieri potest, omnia in certum ordinem cogantur, vt ceu membra membris subiecta, inter se omnia consentiant, & vt possit etiam certi aliquid inde disci. Curabis præterea in illis, vt quam diligenter omnes rerum, personarum, locorum, temporum circunstantias rimeris, præsertim in historiis tractandis, & singula pene verba sunt ponderanda, id quod mirabilem rebus lucem adfert, & ad copiam orationis plurimum facit: & hæc de eo genere sufficiant.

Tractatum igitur a nobis iam est, in

hac vltima huius secundi tractatus parte, de vsu thematis, confirmationis, & confutationis cuiusq; generis, quæ partes sunt sacræ concionis. De inuocatione vero Spiritussancti, ac de Procœmio, Narratione, Diuisione, & Peroratione, nihil amplius hic dicendum occurrit, q̃ vt iuxta præcepta de his, a nobis suis locis tradita tractentur.

Solum vnum vltimo tandem hoc loco monebimus, quod maximam vim habet, non modo in sacris Concionibus, verum in omnibus disputationibus, videlicet, vt Hypothesin transferamus ad Thesin. Vocant autem Hypothesin, negociũ de quo controuersia est, circunscriptum circunstantiis: vt, sit ne bellum mouendum aduersus Turcas. Thesin vocant generalem quæstionem, vt liceat ne Christiano bella gerere.

Facile autem iudicari potest, cum de Turcico bello dicendum est, omnia planiora, atq; vberiora fore, si a specie ad genus oratio transferatur, & de magistratus

officio, de bello in genere dicatur, quàm pium, quam sanctum officium Reges faciant, si has gentes ipsorum tutelæ commissas, aduersus Turcicum latrocinium defendát. Ac Christus ipse docet nos hoc artificium, qui sæpe transfert Hypotheses ad Theses, vt cum excusat Apostolos de violata traditione Pharisæorum, incipit in genere de traditionibus illis Concionari. Cum adferretur ad eum Historia de crudelitate Pilati, grauissimam Concionem habet de pœnitentia. Lucæ. 13. Semper enim Thesis in aliquo locorum communium, versatur.

Adhibentur autem loci communes & ad probandum, & ad amplificandum. Etenim fere in omni probatione, maior nascitur ex aliquo communi loco. Idque diligēter obseruent studiosi, vt sciant vbi sit vsus locorum communium, quos qui prudenter eliget, non poterit feliciter nō docere.

Cæterum vt omnium præceptionum quas in hoc nostrum collegimus opuscu

lum, facilior sit vsus, breui (quo ad po-
terimus) Euangelicas Conciones Domi
nicarum totius anni, hoc artificio tracta-
tas, edere, conabimur: Si Christus
tamē, vt speramus, nostris fa-
uere digneť conatibus,
cui gloria & impe
rium in secula
seculorum.
Amen.

Finis operis.

DE FORMANDO STVDIO RODOLPHI AGRICOLAE AVREA PLANE EPISTOLA.

Ad formanda studia, corrigendaq; iudicia, vix aliud hac Epistola leges accommodatius. Proinde studiose omnis operam dabis, vt quamfamiliarissima tibi fiat.

RODOLPHVS AGRICOLA Iacobo Barbiriano S.

SCRIBIS suauissime Iacobe atq; optas, dari tibi facultatem degẽdæ mecum vitæ, quo posses id, quod maxime cupis, vellut ductu auspiciisq; meis, studia tua instituere atq; formare. Vellem equidem tantæ mihi eruditionis, tam magni in literis doctrinisq; vsus conscius essem, vt istud tam iure meritoq; deberes cupere, q̃ te scio vere id atque ex animo optare. Hortarer te, vt rebus omnibus relictis quecumq; vel vtilitatis specie te deuinciunt, vel voluptatum illecebris blandiuntur, eruditionem studiaq; me duce sequerere: & incisis omnibus, vel abruptis etiam vinculis, quibus alligatus teneris prona præcipitiq; ad optima tenderes via: facerem id non modo tua causa, cuius maxime & debere, & vellem, sed & mea quoq; quum sperarem tantum nominis opinionisq; apud multos cõsequi

posse, tantūq; fuisse me plerisq; psuasum
iri, quātū te monitis, preceptioneq; mea
factum viderent, quantumq; fieri te posse
exploratum habeo, & de te ingenii vis,
amor studiorum, naturæq; tuæ felicitas,
mihi promittūt. Nunc cum ad nullam
tantam spem mei vocare te possum, quæ
vllo incōmodo rerum tuarum tibi sit re
dimenda: rebus ipsis pareamus oportet:
Vtiq; optabile nobis esset, si vnū aliquem
in locum nos felicior casus contulisset:
sic hoc desiderium nostrum est hac com
moda rerum tuarum conditione lenien-
dum; & iucundissima putanda, quæ opti
ma sunt. Vt tamen interea præceptoris
apud te munere fungar, & per literas
(qua datur) ostendam, qua ratione tibi
putem studia tractanda; paucis; & quan-
tum epistolæ capit angustia, quod opti-
mum censeo, explicabo. In studiis for-
mandis duo præcipue spectanda credi-
derim. Prius, quod studiorum maxime
genus cui sectandum sit. Deinde, qua ra-
tione quis in eo, quod elegerit, plurimū

efficiat, de vtroq; ordine dicam. Studiorum genus, alteri necessitas vel rerũ, vel naturæ suæ assignat. Alter voluntate sua ad id, quod optimum censet, sese adiungit. Vt enim cui angustior res familiaris contingit, eas fere sequitur arteis, vnde promptissimũ putat posse necessitatibus suis præsidium parare. Vt etiam cui segnior natura obtusior mentis acies est, si modo perdere nolit operam, ea sequi debet: non quæ maxime cupit, sed quæ rectissime potest. Sic is, cui facultatum vberior copia, & felicior ingenii vis tributa est, ni mirũ errabit, si non totis viribus ad optima feretur, quandoq; ad summa pertingere possit, malit inter secunda potius tertiaue subsistere. Ergo ciuile ius alius, alius Pontificum sanctiones, alius Medicinæ artem discendam sumit: pleriq; etiam loquaces has, & inani strepitu crepitantes, quas vulgo artes iam vocamus, sibi vindicant, & perplexis disputationũ ambagibus, vel etiam (vt verius dicam) ænigmatibus diem terunt. Quæ tot iam

feculis nullum inuenerũt Oedipodem, qui ea folueret, nec inuentura funt vnq̃. His miferas adolefcentium onerant aures, hæc fubinde ingerunt inculcantq;, & in plerifq; meliorem ingenii fpem atque frugem, in teneribus adhuc annis, velut in herba enecant. Laudo eas omnes tamen, plus certe laudaturus, fi recte ordineq; tractarentur: nec enim tantum defipio, vt folus damnem, quas tam multi laudant. Quid ni laudem vero? quibus videam multos fummas opes, ampliffimos honores, autoritatem, famam, dignitatem confecutos. Et quas certe vendibiliores (vt Ciceronis verbo vtar) fciam & plane fatear, aliis nonnullis, quas fteriles & ieiunas vocant, vt quę magis animum explere, q̃ arcam. Si lucri rationem itaque ducis, habes ex illuftrioribus illis aliquã, quam fequaris, vt diues fias: dũ tamen fcias hanc laudem vt contingat, tibi cum fœneratore fore communem. Sin rectius credis, quæ honeftæ funt, propter fe expetere, & quas habes faculta

tes, suffecturas putas modestię tuę. Quan doquidem immodestiæ, & quantumuis paruæ, nimiæ sunt, & quantũuis magnę, non sufficiunt, censeo, vt ad Philosophiam te conferas, hoc est, enitaris, vt recte de rebus sentias: & quæ sentis, commode vt possis eloqui. Sẽtire autem duplex est, proinde & duplex conditio rerum quas inquirimus. Alię nanq; res ad actiones, moresq; nostros pertinent, quibus omnis ratio vitæ, recte riteq; degendę cõtinetur, quam Philosophiæ pars ea, quę moralis vocatur, tradit. Huius prima nobis, & præcipua habenda est ratio. Hæc autem est petenda tibi non modo a Philosophis, qui literis eã tradidere, vt sunt Aristoteles, Cicero, Seneca, & si qui sunt alii, vel Latini, vel Latine redditi, vt digni sint qui legantur, sed ab Historicis etiam, & Poetis, & Oratoribus. Quoniã ii, & beneficia laudando, & quæ contra facta sunt, vituperando, non docent quidem, sed (quod efficacissimũ est) exemplis propositis, quæ recte secusue fiant,

ostendũt. Per hæc gradus ad sacras literas faciendus est, & ad illarũ præscriptũ dirigendus vitæ nobis ordo, saluberrimisq; illis ducibus, de nostra salute credendum. Reliqua omnia aliorũ tradita, plus, minusue erroris, tamen habent admistum aliquid. Neq; enim cõtingere potuit eis, vt rectum, & nulla aberrantem parte cursum vitæ instituerent, quisquis esset vitæ propositus finis, aut nescirent, aut veluti per nubem spectantes suspicarentur, dicerentque constantius, quàm crederent. At sacræ literæ, tam longe ab omni errore remotæ sunt, quam qui eas tradidit, Deus. Hæ sunt, quæ solæ nos certa, solida, rectaq; ducunt via, quæque omni discussa caligine, sequentem se non falli, non excidere, non vsquã aberrare patiantur. Sunt & aliæ res, quarum cognitio magis ad ornamentum animi nostri, honestamq; voluptatem, quam ad necessarium vtriq; vsum pertineat. Cũ iusmodi est omnis disputatio de natura rerum, multiplex certe, variumq; nego-

tiũ, & multipliciter quoq; a multis sum mo ingenio viris tractatum. Quæ vt nõ necessaria sit ad boni viri mentẽ forman dam effingendamq;, non parum tamen contulerit, vel eo, quod vbi hæc cura p quisitioq; rerũ bona fide sibi cuiusquam vindicauerit animum, nullum sordibus vilibusque curis locum relinquit, deinde quod docet contemnere atq; pro nihilo putare ea, ad quorum conspectum vulgus stupet: per quorum possessionẽ etiam eis, qui felices putantur, misereatur, quando ostendat, quam vanis omnia futilibusq; cõstent causis, dicatq; nullam rerum naturæ posse pernitiem contingere maiorem, quam si omnes eius vel sordidissimæ partes tales fiant, quales nunc sunt aurum, gemmæq;, quibus publica humani generis insania summũ esse pretiũ voluit. Postremò, quia quando intelligimus hac monstrante, fragilis huius caduciq; corporis nostri habitum, omnibus casibus obnoxium, discimus, omnẽ curam nobis ad animam esse trans

ferendam, hancq; excolendam, in qua nulla nobis opera frustra, aut peritura locatur: quippe in quam quicquid collatū sit, immortale (sicut ipsa est) æternūq; sit mansurum. Transeo multa, neq; enim epistola esset, sed voluminis opus, omnia cōplecti, quę in hanc possent sententiam dici. Hoc satis est ostendisse, quod tute minime ignoras, dignam hanc esse studiorum, in qua viri boni mens elaboret. Nec ego aditum tantum primaq; initia harum artium participere te velim, quod nunc vulgo in scholis fieri videmus, quoq; tu pridem cum magna laude pulchre, prolixeq; pręstitisti, sed res ipsas attingendas censuerim, tum terrarum, marium, montium, fluuiorum situs, naturas, gentiumq; in his mores, terminos, conditionem, imperia, vel accepta, vel prolata: tum arborum, herbarumq; vires, quas Theophrastus iam animantium historiam, generationem, partes, quas Aristoteles literis mandauit, perquirendum. Quid dicam, quæ de re rustica

stica tractata sunt, quidq; de Medicina?
alius rem militaré, alius architecturam,
alius pingẽdi, fingendiq; rationem con-
scripsit, quas artes, tametsi non sum nesci
us, non intra partem eam disciplinarum
claudi, quæ rerum naturam scrutatur: ta
men quia cognitæ sunt illi, & ab eisdem
fere ꝓdeunt fontibus, non est quod nunc
in eo magnopere sim solicitus, quando
ad eundem ordinem redigendas putem.
Hæc ergo omnia, quæ dixi, & ad mores
nostros, & ad rerum naturam pertinere,
ex eis discenda tibi sunt autoribus, qui re
bus cognitu dignis clarissimum eloquen
tiæ lumen addiderunt, vt vna opera, &
rerum notitia tibi, & quod post eam pro
ximum feci, commode eloquendi ratio
contingat. Qua quidem de re scis multa
a summis viris tradita esse ꝑcepta. Quod
tamen ad corruptam institutioné loquen
di emendandam pertinet, quam pueri in
scholis accipimus, huius mihi admonen
dus videris. Fac suspectum tibi sit, quic-
quid hactenus didicisti, damnes omnia,

te nimium, nec satis cum re proposita co
hærens, dictum fuerit, in eo sermone ex-
peditius annotabit quisq;, quem notissi-
mum habebit. Postremo vt hunc locum
cõcludam, quicquid eris scripturus, des
operam, vt quampurissime id recte tan-
tum, Latineq; inter initia eloquaris. Or-
nate dicendi posterior erit cura, quod cõ
tingere certe, nisi sana & integra sit ora-
tio, non potest. Euenit enim eloquentiæ,
quod corpori, in quo si nõ omnia mem-
bra sint suo quodq; loco disposita, si sint
a recto habitu detorta, si magnitudinis
suæ modum egressa, frustra illi circunde-
deris ornatum. Pugnabit enim cum or-
namentis suis corpus, & illustriorem de-
formitatem eius, decor externus faciet il-
li comparatus. Sed de hac parte, quæ ti-
bi studia potissimum sectanda putem, ha
ctenus: Reliquum est, vt dicam quo pa-
cto plurimũ in studiis fructus consequu-
turũ te credo. Alius aliter fortasse, ego ita
sentio. Quisqs in percipiendis doctrinis
cupiet dignũ aliquem laborũ fructũ adi-

pisci, illi tria esse præcipue præstanda, vt plane recteq; percipiat, quod discit: vt fideliter, quod percepit, côtineat, vt & ex eo aliquid ipse deinde parere, proferreq; valeat. Primum diligentis lectionis est opus: Secundum, fidæ memoriæ: Tertium, assiduæ exercitationis. In lectione id conandum in primis est, vt quod legimus, quam maxime fieri poterit, intelligamus, & penitus habeamus perspectum: nec rem tantum, quæ traditur, sed & verborum in disertis autoribus vim, proprietatem, structuram, ornatumq; perspiciamus, quis decor, quod pondus sententiarum, quæ vis explicandi, & res proferendi verbis, & velut in lucem conspectumq; protrahendi. Nec tamen istud eo pertinet, vt si vel per se obscurior, vel nobis ignotus occurrerit locus, statim resistendum illic: nec progrediendum vltra putemus, vt (quod nônulli) statim proiiciamus librum, damnemusq; studia, & ingenium nostrum deploremus. Diligentia enim, non indignatione ad

profectum est opus. Transeuntes ergo, si quid erit, vbi intellectus non possit erui, & in aliud reseruandum tempus, donec vel homo, vel liber nobis contingat, qui id aperiat, vel alia lectio, quod crebrum est, doceat. Dies enim (quod dicere soleo) diem docet. Quod si Quintilianus inter virtutes grammatici numerandum putauit, aliqua nescire, quanto magis nobis, vt non dicam necessarium saltem cum venia erit, nonnulla ignorare? Nolim tamen videri cuiusquam desidiæ patrocinium me his commemorandis parare. Nam contra videor mihi nulla re alia cuiusquam studium posse vehementius accendere, q̃ si ostendam ipsam sibi lectionem aperire viam, & omnem legendi laborem legendo superari. Proximum est, vt memoria firmiter, quod accepit, asseruet. Constat autem memoria in primis natura, ea tamen adiuuatur arte, quam alii quidem aliter tradidere, sed sic tamen, vt summa rerum eodem fere redeat. Eam artem duobus maxime vsi

bus accommodam arbitror. Aut enim ſu bito dicendum eſt, & maior aliquis rerũ numerus commemorandus, in quo peri- culum adeundum eſt, ne vt ordine, vel numero deſtituamus, vt quũ legati apud Principem, aut Senatũ aliquem vel pro- ponimus petita noſtra, vel partis aduer- ſæ cogimur reſpondere poſtulatis; tunc certe ab hac arte commodiſſime præſidi um petetur. Aut quando exercere memo- riam volumus, id hac via facile & quam minima moleſtia facere licebit, quod ſa- ne ad memoriam firmandam vtiliſſimũ eſſe. Et Quintilianus autor eſt, & rei vſus, ſiquis experiri volet, expedite docebit, ſi quod aliud enim, memoria vel maxima eſt, quam creber vſus auget, quamq; incu ria negligẽtiaq; deſtituit. In iis vero, quæ perpetuo animo noſtro cupimus hærere, optimum cõtenderim eſſe, q̃ intentiſſima cura primum complecti ea: deinde q̃ cre berrime ab animo noſtro repoſcere, & ſubinde admonendo eum ad fidem præ ſtandam cogere: poſtremo, vt animo va

cuo, & quãtum datur ab aliarũ curarum turba ocioso, id agamus, quod quidem in actionibus omnibus & negotiis, quicquid id est, quod vlla parte nostri fieri debet, exploratum est, vt nemo pluribus æque sufficere possit. Ingenium certe id est, quod vbi intenderis (vt inquit Sallustius) valet, quod ei in multas diducto curas contingere minime potest. Tertium est, & quod proposueram postremum, quo pacto ex iis, quę discẽdo percepimus, ipsi excudere aliquid, proferreque valeamus, ne ue studia nostra apud animum segnia, & (vt ita dicam) sterilia reponantur: sed quod semina solent in terra condita, fructum aliquẽ vberiorem cum fœnore profundant. Amplus copiosusq; est hic locus, & dignus, qui pluribus diceretur, quemq; ego aliquando exactiori cura mihi puto dicendum, quando hic pręcipuus esse videtur longi laboris, sollicitudinisq; in studia collatę, fructus. Quod si nihil ipsi ad posteros mandare poterimus, nihil extra

ea, quę didicimus, ad pręsentes profer
re, quid tandem inter librum & nos in
terfuerit? nisi qualiter quidem ea, quæ se
mel in illum cōgesta sunt, bona fide sem
per seruat: redditq; nobis, vt quę accepi
mus, continere possimus, iteranda sunt
toties, & subinde in animum inculcāda.
Complectitur sane locus hic duo, quorū
vtrunq; per se quando sit magnum, con
iuncta certe plurimum in studiis laudis
merentur. Horum alterum est, vt quę di
dicimus, in vsum prompta habeamus: &
vbicunq; res postulat, parata. Plerosq;
enim videas, qui quando multa didice
rint, multorum habeant memoriam, vbi
proferendum tamen sit aliquid eorum,
nihil succurrat eis, nihil queant memi
nisse: at sciunt quidem, sed id ipsum scire
se nesciunt. Alterum est, vt ex eis, quæ ac
cepimus, ipsi preter hæc inuenire aliqua
possimus, & conficere, quæ nobis affera
mus, nostraq; esse quæamus affirmare.
Duo sunt autem, quæ præcipue huic par
ti profutura crediderim. Horum vnum

est,

est, vt certe quædam rerum capita habeamus, cuiusmodi sunt, virtus, vitium, vita, mors, doctrina, ineruditio, beneuolentia, odium, & reliqua id genus, quorum vsus fere communis ad omnia, & tanquam publicus sit. Hęc crebro iteremus, & omnia, quæ didicimus, quantum fieri potest. Certe quæcunque discimus, ad ea redigamus, vt repetēdis capitibus illis, ea quoq;, quæ ad ea redegimus, repetantur. Sic fiet tandem, vt omnia quæ discimus, certa nobis, præsentiaque, & prope sub conspectu maneāt. Poterit autem per sæpe vel exemplum vnum, vel vna sententia, in multa capita conferri, vt quod, de vi illata Lucretiæ, apud Liuium est: primum de pudicitia, quāti scilicet ea facienda sit, cuius damnum Lucretia morte putauit pensandum. Post de pulchritudine quantorum malorū ea sæpe sit causa, quantum etiam pudicitiæ ab ea periculi sit. Iam de morte, vt ea mala non sit habenda, quam Lucretia impudicæ vitæ prætulit. Hinc de libidine, quas clades,

quæ bella ea mouerit, vtq; etiam ingentia mala magnorum sæpe bonorum præbeant causam, quando ex eo scelere Populo Romano sit libertas quæsita. Sententia itidem diuidetur, vt, Est virtus, placitis abstinuisse bonis. Ad virtutis caput ducetur, dicit enim: Virtus est, placitis bonis abstinuisse. Ducetur ad caput bonorum, non omnia bona expetenda esse: quoniã placitis bonis abstinuisse, est virtus. Ducetur ad caput abstinentiæ, quia abstinuisse placitis bonis, est virtus. Secũdum, quod huic parti adiumento erit, id est, vt in iis, quæ discimus, diligenter pẽsimq; conferamus verba inter se, & latiori quodã tractu explicemus. Sumamus, exempli gratia, quod apud Vergiliũ est: Optima quæq; dies miseris mortalibus æui, Prima fugit. Primũ, optima inquit, qualia sunt putanda bona humana, quãdo optima sint: eaq; nedum abeant, sed fugiant, & semper peiorum expectatione torqueant, quæ etiam duriora videantur necesse est, ex meliorum, quæ præcesserũt,

comparatione. Sequitur dies æui, id est, vita nostra, ea quæ paruũ est facienda, si fugax est, & optima protinus initio, velut in flore consumitur. Quæ potest autem esse felicitas in vita, quando qui fruuntur ea, mortales nedum, sed & miseri sunt: Hinc iam miseris mortalibus, quid ni miseri, quorũ talia bona sunt, talis est vita, quiq; morti obnoxii sunt? Postremum est, prima fugit. Prima ergo nondum vsu cognita, nulla perfunctione possessa, vt semper quæ sequitur, quando vis forte per se bona, tamẽ melioris collatione dura videatur. Fugit etiam, non dimittitur, non abire iubetur. Quàm fallax ergo, quàm incerta, quam nequaquam nostri iuris aut arbitrii est. Quod si quis latius ista, & per omnes locos dialecticos fuderit, quatenus cuiusq; natura capax eorũ est, ingens itaq; copia, & ad dicendum, & ad inueniendum se præbebit. Quod quomodo faciendum sit, maius est, quàm vt epistola id capiat, & copiose est a me ea de re in sex libris eis, quos de inuentione dialecticæ

scripsi, disputatũ. Quisquis ergo prius id recte, & cum cura tractauerit, præsertim si rationem dialecticæ inuentionis illi adiunxerit, ingens illi, paratissimaq; de omni fere proposita re disserendi facultas continget, modo ea res illa ex parte ad eas pertineat, quas didicit artes. Hocq; pacto veteres illos professores artium, quos Græci Sophistas, id est, doctores vocabant, exercuisse deprehendo, quantum ex Aristotele, & Platone coiicere licet, atq; ad eam eruditionem, promptitudinemq; dicendi peruenerunt, vt de qua re audire quis vellet, proponi iuberent, dicerentq;, quandiu, quantumq; videretur de eo, quod esset propositũ. Sic Gorgias Leontinus, primus tam audacis cœpti autor, sic Prodicus Chius, sic Protagoras Abderites, atq; Hippius Eleus, & instituti, & alios docuere. Ad id quod secundum feci multum iudicii parabit in iis, quæ discuntur, & nouas argumentationes, nouasq; sententias, aut veteres, sed quibus noua facies sit, inueniet: estq;

eiusmodi, vt si stilus ei addatur, statim exercere eloquentiam possit, & ad bene dicendum aditum parare. Sed hæc ha-ctenus, vt pro rerum conditione pauca, vt pro modo epistolæ nimis multa. Vt enim Demetrio Phalerio visum est in li-bro, quem περὶ ἑρμηνείας, id est, de explicatione scripsit in epistola, quæ grá-dior facta est, non tam epistola dici de-bet, quam liber, cuius initio sit salus ad-scripta. Verum id vtcunque æstimari po-terit, haud ponam equidem in magno discrimine, mihi statutum est, aliquo mo-do, quocunque possum, studia tua iuuare. Quod ipsum, si non potero ostendere, tamen vt me voluisse intelligas, quod voluisse, vt in multis, quæ effectum exi-gunt, parum est, ita in amicitia, cui pro effectu est animus, tale est, vt nihil plus exigi, nihil magis prestari pos-sit. Vale Heydelbergæ Anno M. CCCC. LXXX IIII. Septimo Idus Iunii.

FINIS.

atq; abiicienda putes, nisi meliorum au-
torum testimonio, & velut decreto, rur-
sus in eorum mittaris possessionem. Præ-
terea quicquid apud emendatos autores
leges, vtilissimum fuerit, idipsum quam
maxime propriis & idem significãtibus
verbis reddere vernaculo sermone. Hac
enim exercitatione assequeris, vt quoties
dicendum tibi aliquid scribendumue fue
rit, quando cõcipiendis verbis apud ani
mum tuum sese, quo natura fert, vernacu
lus sermo protulerit, statim quoq; Latina
verba iampridem illic hoc vsu accom-
modata sequantur. Ad hæc quoq; siquid
scribere voles, optimum erit idipsum
quampleníssime, rectissimeq; patrio ser-
mone intra animum tuum formare. De-
inde Latinis pure proprieq; id significan-
tibus explicare. Sic fiet, vt omnia aperte
& quammaxime plene dicantur. Omnes
enim, si quid in dicendo est vitii, facilli-
me in eo perspicimus sermone, ad quem
sumus nati: & si quid vel dilucide pa-
rum, vel breuius q̃ conueniat, vel contor

te nimium, nec satis cum re proposita co
hærens, dictum fuerit, in eo sermone ex-
peditius annotabit quisq;, quem notissi-
mum habebit. Postremo vt hunc locum
cōcludam, quicquid eris scripturus, des
operam, vt quampurissime id recte tan-
tum, Latineq; inter initia eloquaris. Or-
nate dicendi posterior erit cura, quod cō
tingere certe, nisi sana & integra sit ora-
tio, non potest. Euenit enim eloquentiæ,
quod corpori, in quo si nō omnia mem-
bra sint suo quodq; loco disposita, si sint
a recto habitu detorta, si magnitudinis
suæ modum egressa, frustra illi circunde-
deris ornatum. Pugnabit enim cum or-
namentis suis corpus, & illustriorem de-
formitatem eius, decor externus faciet il-
li comparatus. Sed de hac parte, quæ ti-
bi studia potissimum sectanda putem, ha
ctenus: Reliquum est, vt dicam quo pa-
cto plurimū in studiis fructus consequu-
turū te credo. Alius aliter fortasse, ego ita
sentio. Quisqs in percipiendis doctrinis
cupiet dignū aliquem laborū fructū adi-

pisci, illi tria esse præcipue præstanda, vt plane recteq; percipiat, quod discit: vt fideliter, quod percepit, cōtineat, vt & ex eo aliquid ipse deinde parere, proferreq; valeat. Primum diligentis lectionis est opus: Secundum, fidæ memoriæ: Tertium, assiduæ exercitationis. In lectione id conandum in primis est, vt quod legimus, quam maxime fieri poterit, intelligamus, & penitus habeamus perspectum: nec rem tantum, quæ traditur, sed & verborum in disertis autoribus vim, proprietatem, structuram, ornatumq; perspiciamus, quis decor, quod pondus sententiarum, quæ vis explicandi, & res proferendi verbis, & velut in lucem conspectumq; protrahendi. Nec tamen istud eo pertinet, vt si vel per se obscurior, vel nobis ignotus occurrerit locus, statim resistendum illic: nec progrediendum vltra putemus, vt (quod nōnulli) statim proiiciamus librum, damnemusq; studia, & ingenium nostrum deploremus. Diligentia enim, non indignatione ad

profectum est opus. Transeuntes ergo, si
quid erit, vbi intellectus non possit erui,
& in aliud reseruandum tempus, donec
vel homo, vel liber nobis contingat,
qui id aperiat, vel alia lectio, quod cre-
brum est, doceat. Dies enim (quod dice
re soleo) diem docet. Quod si Quinti-
lianus inter virtutes grammatici nume-
randum putauit, aliqua nescire, quanto
magis nobis, vt non dicam necessarium
saltem cum venia erit, nonnulla ignora-
re? Nolim tamen videri cuiusquam desi
diæ patrocinium me his commemoran-
dis parare. Nam contra videor mihi nul
la re alia cuiusquam studium posse vehe-
mentius accendere, q̃ si ostendam ipsam
sibi lectionem aperire viam, & omnem
legendi laborem legendo superari. Pro-
ximum est, vt memoria firmiter, quod ac
cepit, asseruet. Constat autem memoria in
primis natura, ea tamen adiuuatur arte,
quam alii quidem aliter tradidere, sed
sic tamen, vt summa rerum eodem fere
redeat. Eam artem duobus maxime vsi-

bus accommodam arbitror. Aut enim subito dicendum est, & maior aliquis rerũ numerus commemorandus, in quo periculum adeundum est, ne vt ordine, vel numero destituamus, vt quũ legati apud Principem, aut Senatũ aliquem vel proponimus petitã nostra, vel partis aduersæ cogimur respondere postulatis, tunc certe ab hac arte commodissime præsidium petetur. Aut quando exercere memoriam volumus, id hac via facile & quam minima molestia facere licebit, quod sane ad memoriam firmandam vtilissimũ esse. Et Quintilianus autor est, & rei vsus, siquis experiri volet, expedite docebit, si quod aliud enim, memoria vel maxima est, quam creber vsus auget, quamq; incuria negligẽtiaq; destituit. In iis vero, quæ perpetuo animo nostro cupimus hærere, optimum cõtenderim esse, q̃ intentissima cura primum complecti ea: deinde q̃ creberrime ab animo nostro reposcere, & subinde admonendo eum ad fidem præstandam cogere: postremo, vt animo va

cuo, & quãtum datur ab aliarũ curarum turba ocioso, id agamus, quod quidem in actionibus omnibus & negotiis, quicquid id est, quod vlla parte nostri fieri debet, exploratum est, vt nemo pluribus æque sufficere possit. Ingenium certe id est, quod vbi intenderis (vt inquit Salustius) valet, quod ei in multas diducto curas contingere minime potest. Tertium est, & quod proposueram postremum, quo pacto ex iis, quę discẽdo percepimus, ipsi excudere aliquid, proferreque valeamus, ne ue studia nostra apud animum segnia, & (vt ita dicam) sterilia reponantur: sed quod semina solent in terra condita, fructum aliquẽ vberiorem cum fœnore profundant. Amplus copiosusq; est hic locus, & dignus, qui pluribus diceretur, quemq; ego aliquando exactiori cura mihi puto dicendum, quando hic pręcipuus esse videtur longi laboris, sollicitudinisq; in studia collatę, fructus. Quod si nihil ipsi ad posteros mandare poterimus, nihil extra

ea, quę didicimus, ad pręsentes proferre, quid tandem inter librum & nos intererit? nisi qualiter quidem ea, quæ semel in illum cōgesta sunt, bona fide semper seruat: redditq; nobis, vt quæ accepimus, continere possimus, iteranda sunt toties, & subinde in animum inculcādā. Complectitur sane locus hic duo, quorū vtrunq; per se quando sit magnum, coniuncta certe plurimum in studiis laudis mereantur. Horum alterum est, vt quę didicimus, in vsum prōpta habeamus, & vbicunq; res postulat, parata. Plerosq; enim videas, qui quando multa didicerint, multorum habeant memoriam, vbi proferendum tamen sit aliquid eorum, nihil succurrat eis, nihil queant meminisse: at sciunt quidem, sed idipsum scire se nesciunt. Alterum est, vt ex eis, quæ accepimus, ipsi preter hæc inuenire aliqua possimus, & conficere, quæ nobis ignota mus, nostraq; esse quæramus affirmare. Duo sunt autem, quæ præcipue huic parti profutura crediderim. Horum vnum

est,

dum, vt certe quædam rerum capita habeamus, cuiusmodi sunt, virtus, vitium, vita, mors, doctrina, ineruditio, beneuolentia, odium, & reliqua id genus, quorum vsus fere communis ad omnia, & tanquam publicus sit. Hæc crebro iteremus, & omnia, quæ didicimus, quantum fieri potest. Certe quæcunque discimus, ad ea redigamus, vt repetẽdis capitibus illis, ea quoq;, quæ ad ea redegimus, repetantur. Sic fiet tandem, vt omnia quæ discimus, certa nobis, præsentiaque, & prope sub conspectu maneãt. Poterit autem per sæpe vel exemplum vnum, vel vna sententia, in multa capita conferri, vt quod, de vi illata Lucretiæ, apud Liuium est: primum de pudicitia, quãti scilicet ea facienda sit, cuius damnum Lucretia morte putauit pensandum. Post de pulchritudine quantorum malorũ ea sæpe sit causa, quantum etiam pudicitiæ ab ea periculi sit. Iam de morte, vt ea mala non sit habenda, quam Lucretia impudicæ vitæ prætulit. Hinc de libidine, quas clades,

quæ bella ea mouerit, vtque etiam ingen-
tia mala magnorum sæpe bonorum præ-
beant causam, quando ex eo scelere Po-
pulo Romano sit libertas quæsita. Senten-
tia itidem diuidetur, vt, Est virtus, placi-
tis abstinuisse bonis. Ad virtutis caput du-
cetur, dicit enim: Virtus est, placitis bo-
nis abstinuisse. Ducetur ad caput bono-
rum, non omnia bona expetenda esse:
quoniã placitis bonis abstinuisse, est vir-
tus. Ducetur ad caput abstinentiæ, quia
abstinuisse placitis bonis, est virtus. Secũ-
dum, quod huic parti adiumento erit, id
est, vt in iis, quæ discimus, diligenter pen-
simque conferamus verba inter se, & latio-
ri quodã tractu explicemus. Sumamus,
exempli gratia, quod apud Vergiliũ est:
Optima quæque dies miseris mortalibus
æui, Prima fugit. Primũ, optima inquit,
qualia sunt putanda bona humana, quã-
do optima sint: eaque nedum abeant, sed
fugiant, & semper peiorum expectatione
torqueant, quæ etiam duriora videantur
necesse est, ex meliorum, quæ præcesserũt,

comparatione. Sequitur dies æui, id est, vita nostra, ea quam paruũ est facienda, si fugax est, & optima protinus initio, velut in flore consumitur. Quæ potest autem esse felicitas in vita, quando qui fruuntur ea, mortales nedum, sed & miseri sunt: Hinc iam miseris mortalibus, quid ni miseri, quorũ talia bona sunt, talis est vita, quiq; morti obnoxii sunt? Postremum est, prima fugit. Prima ergo nondum vsu cognita, nulla perfunctione possessa, vt semper quæ sequitur, quando vis forte per se bona, tamẽ melioris collatione dura videatur. Fugit etiam, non dimittitur, non abire iubetur. Quàm fallax ergo, quàm incerta, quam nequaquam nostri iuris aut arbitrii est. Quod si quis latius ista, & per omnes locos dialecticos fuderit, quatenus cuiusq; natura capax eorũ est, ingens itaq; copia, & ad dicendum, & ad inueniendum se præbebit. Quod quomodo faciendum sit, maius est, quàm vt epistola id capiat, & copiose est a me ea de re in sex libris eis, quos de inuentione dialecticæ

scripsi, disputatũ. Quisquis ego prius id recte, & cum cura tractauerit, præsertim si rationem dialecticæ inuentionis illi adiunxerit, ingens illi, paratissimaq; de omni fere proposita re disserendi facultas continget, modo ea res illa ex parte ad eas pertineat, quas didicit artes. Hocq; pacto veteres illos professores artium, quos Græci Sophistas, id est, doctores vocabant, exercuisse deprehendo, quantum ex Aristotele, & Platone cõiicere licet, atq; ad eam eruditionem, promptitudinemq; dicendi peruenerunt, vt de qua re audire quis vellet, proponi iuberent, dicerentq; quandiu, quantumq; videretur de eo, quod esset propositũ. Sic Gorgias Leontinus, primus tam audacis cœpti autor, sic Prodicus Chius, sic Protagoras Abderites, atq; Hippius Eleus, & instituti, & alios docuere. Ad id quod secundum feci multum iudicii parabit in iis, quæ discuntur, & nouas argumentationes, nouasq; sententias, aut veteres, sed quibus noua facies sit, inueniet: estq;

eiusmodi, vt si stilus ei addatur, statim exercere eloquentiam possit, & ad bene dicendum aditum parare. Sed hæc hactenus, vt pro rerum conditione pauca, vt pro modo epistolæ nimis multa. Vt enim Demetrio Phalerio visum est in libro, quem περὶ ἑρμηνείας, id est, de explicatione scripsit in epistola, quæ grandior facta est, non tam epistola dici debet, quam liber, cuius initio sit salus adscripta. Verum id vtcunque æstimari poterit, haud ponam equidem in magno discrimine, mihi statutum est, aliquo modo, quocunque possum, studia tua iuuare. Quod ipsum, si non potero ostendere, tamen vt me voluisse intelligas, quod voluisse, vt in multis, quæ effectum exigunt, parum est, ita in amicitia, cui pro effectu est animus, tale est, vt nihil plus exigi, nihil magis præstari possit. Vale Heydelbergæ, Anno M. CCCC. LXXX IIII. Septimo Idus Junii.

FINIS.

Scheda te

Progetto n.
Colloc.: 6.

Interventi
Document
Spolveratu
restauro d
rinforzo d
Prolungam
riaggancio
capitello d
coperta in
Coperta o

Laborator
Progetto:
Operatori:
Data del r